



BIBLIOTECA NAZIONALE
VITTORIO EMANUELE
6
33 H
15

DE ANNO & menſibus cōmentarius,

CVI ADIVNGItur Faſtorum liber, ſiue ἡμερολόγιον, quo quicquid peculiariter apud Græcos, Hebręos, Romanos, aliasq́ exoticas nationes, memorabile quolibet die actum fuerit & obſeruatum, compendio commõſtratur, autore HADRIANO IVNIO Medico.





Item Calẽdarius in

QVO TOTIVS ANNI DIES *articulatim ad calculum uocati, atq; idipſum Latinis haud Barbaris ſententijs, cuilibet anni tempori congruis.*



BASILEAE.



SERENISSIMO INVICTISSIMOQVE

Principi EDVVARDO VI. *Angliæ, Franciæ, & Hiberniæ Regi, Fidei Defensori &c. Hadrianus Iunius Medicus fœlicitatem.*



ECTA institutio, sine qua neq; cultus ingenij accipi, neq; fructus ædi potest, Rex Inuictissime, quantum habeat momenti, quantũ mereatur commendationis in Principe, sagacissimè diuinus ille Plato iam tum perspexerat quando præclarè habituras se res humanas, beatasq; fore Respub. iudicauit, ubi aut eruditi sapientesq; homines regerent, aut Reges philosophiæ præceptis imbuti ad literas animum appellerẽt. Quum nanq; nihil sit amabilius, nihil laudabilius, nulla re alia accedamus propius ad De-

um, quàm uirtute, è qua ceu fonte hone
ſtæ omnes & rectæ rationes proma-
nent, eruditio autem bonæq́ diſcipli-
næ ſint tyrocinia quædam & incunabu
la uirtutis, aut, quod Theano Pytha-
goræa uoluit, προϋποσυφαί τινες, quid
non bonorũ de T. Maieſtate ſperabi-
mus, cuius in animo tenello Philoſo-
phia eos ſatus deponit, qui uberrimos
cum ætate prouentus, etiãnum in her
ba deliteſcentes, non poterũt non pro-
fundere, idq́ auſpicatiſſimè ſub do-
ctiſſimo, & (quod ueræ atq́ ſolidæ eru
ditionis germanum eſt) modeſtiſſimo
Io. Chieco, haud ſegniore eodem ui-
uendi, quã dicendi præceptore, in quo
uno ornando uirtutes omnes conſpi-
raſſe (faceſſat à dictis inuidia) uidẽtur:
de quo idẽ fere dicere licebit, quod de
Timarcho Spintharus Tarẽtinus pro
„ feſſus eſt, μηδένι πού τ̃ καθ᾽ ἀυτὸν ἀνθρώ
„ πων ἐντετυχέναι, μήτε πλέονα γινώσκον-
„ τι, μήτε ἐλάττονα φθεγγομένῳ, hoc eſt, in
neminem ſuæ tempeſtatis hominũ in-
cidiſſe, qui tum plura ſciret, tum pau-
ciorum

ciorum esset uerborũ. Tanta est tamq́ singularis eius uiri cunctis decantatissima modestia. Gratulaẽ itaq́ T. Maiestati uno ore admirabundus uniuersus orbis, quod accuratè adeò & feliciter præ cæteris hac ætate principibus instituatur in literis ac disciplinis imbuatur: quo profectò ornamento nihil quidquam in rebus humanis uel præstantius uel admirabilius esse potest. Quum uerò doctrina omnis studio & industria ceu alimento foueatur atque confirmetur, persuasus autem fuerim uicaria operâ adiumenti aliquid accedere posse M. T. studijs, argumentum delegi haud postremæ utilitatis, ipsaq́ uarietate delectabile, è quo multiplex materia thesium, ornamẽta orationis illustria, amplificationum apparatus multiformis, breuis & succincta historiarũ & antiquitatis cognitio peti possunt: è quo suos pariter & progenitorũ fatales casus, & acta notatu digna, exploratò T. M. cognoscet. Titulus est de Anno & Mensibus, cui succedit

Fastorum liber, ἐφημερίδας & ἡμερολόγειον nuncupant illi. Cuius argumenti utilitatem haud uulgarem compendiosè perstrinxit in Aristide Philostratus his uerbis: αἱ δὲ ἐφημερίδες, ἀγαθοὶ διδάσκαλοι τοῦ περὶ παντὸς εὖ διαλέγεσθαι, hoc est, Fasti, optimi magistri rectè de re qualibet disserendi. Idem comprobat in Genethliacon methodo Aelius Dionysius, plurimum momenti ad rectè instituendam declamationē adferre, inquiēs, peculiarem cuiuslibet diei cognitionem. Nec dubitauit doctissimus Plutarch. eodē in argumento tractādo operam sedulā collocare, quod de se ipse in Camillo scribit, commentarium rerum quolibet die gestarum reliquisse se ostendēs: cuius hæc sunt uerba, ὡς ἡμῖν ἐν τῷ περὶ ἡμερῶν ἀποδέδεικται. Primus autem Orpheus uatum antiquissimus argumentum scribendarū ἐφημερίδων delibasse proditur. Simili propè argumento αἴτια cōscripsit Callimachus, causas sacrorum totius anni eo libro complexus. Hunc laborē e

literariæ

literariæ opulentiæ & uariæ lectionis penu depromptũ. T. Maiest. cõsecro, cuius præsens numen, ut hostibus formidabile & infestũ, ita aduersus dentatos maleuolorum morsus, meæ tenuitati propitium in hac dedicatione deligere uisum fuit: ita Deus Opt. Max. felicitatẽ illi Augusti concedat, & quod Critię Atheniensis uotum fuit, νίκας ἀγησιλάου τοῦ λακεδαιμονίου, atque inconcussum lati quaquauersum imperij cũ alma pace statum. Lõdini Calen. Martijs, anno à Christo passo 1550.

CATALOGVS

autorum per quos

profecimus & quorum teſtimonio ſumus uſi in hoc libello, Græcorum pariter atq; Latinorum.

Aelianus.
Aelius Lampridius.
Aelius Spartianus.
Aeſchylus.
Ammianus Marcell.
Apollonius Acharnẽſ.
Ariſtophanis interpr.
Ariſtoteles.
Arrianus.
Artemidorus.
Aſconius Pædianus.
Atteius Capito.
Athenæus.
Auguſtinus.
Aulus Gellius.
Auſonius.
Bedas.
Beroſus.
Blondus.
Caius Iureconſultus.
Caßius Longinus.
Cato.
Claudianus.
Conſtantinus.
Cornelius Nepos.
Cornelius Tacitus.
Didymus.
Dion Cocceius.
Dionyſius Halicarnaß.
Epigrãmatarij Græci.
Epiphanius.
Eraſmus.

Probus grammaticus.
Proclus Diadochus.
Qu.Curtius.
Salustius.
Seneca.
Seruius grammaticus.
Septimius Tertullian.
Sex.Pompeius.
Simplicius.
Solinus.
Statius.
Strabo geographus.
Suetonius Trãquillus.
Suidas.
Terentius.
Theon Alexandrinus.
Theophrastus.
Theodorus Gaza.
Theopompus.
Thucydides.
Titus Liuius.
Varro.
Vegetius.
Velleius Paterculus.
Virgilius.
Vitruuius.
Vlpianus.
Xenophon.

Finis Catalogi autorum.

IN HADRIANI Iunii de anno & mensibus libellum Index rerum ac uerborum copiosissimus.

Alliēn

aure=

mahumeti

october

quin=

uejouis

FINIS.

DE ANNO & mensibus cōmentarius Hadriani Iunij Medici, ad Serenissimum Angliæ &c. Regem EDVVARDVM.

De anno eiusq́ appellatione & effigie, Cap. I.



CRIPTVRVS *Fastos, quibus cuiuslibet diei acta pariter & res gestæ memorabiles atq; euenta, quæ multiplici lectione obseruare potui, cōtinebuntur, non abs re facturus mihi uideor, si ab anno ipso, qui fastos orbiculo & constituit & complectitur, atque eodem etiam intra se reuoluit, auspicium sumam: secuturus in hoc plærosq; omnes qui commētarios de re quapiam in uulgus ediderunt, quos cōstat à uocum finitione atq; origine altius uelut à capite operum suorum initium arcessere solere.* Equidem morem



illum ut neq; prorsus improbauerim, ita neq; inuitus etiam sequar: partim ne sciolus ac plus nimio ingeniosus aliorũ censor habear: partim quod rem ipsam hoc poscere uideã, præsertim ubi multa non cuiuis lecta, atq; ab illis qui priores me idem argumentum delibarunt, hactenus nũquam obseruata, prodere sit animus. Proinde illorum, quos dixi, uestigijs insistens, non ab æternitatis usq; terminis, ingenij comprehẽsionem fugientibus, rem repetam: sed ab anno, qui semper recurrens nouitatis gratia nobis blanditur, uitæ spatia metitur & indicat, auspicatò exordiar. Annum itaq; à circuitu temporis dictum uoluit Atteius Capito, ab an, quod circum apud ueteres notabat, ut in Originibus scripsit Cato. At Varro de lingua Latina libro quinto nominatum asseuerat, quod ut paruuli circuli, annuli: sic magni dicerentur circites anni: ita Seruius Grammaticus quasi anum, hoc est, annulum dici autumat, quod in se redeat, id quod à Marone antiquitatis omnis scientißimo poëta expressum est, ubi inquit. Atq; in se sua per uestigia uoluitur annus. qua ratione Græci ἐνιαυτὸν appellarũt, quasi ἐν ἑαυτῷ, uti in Cratylo Platoni placuit. Non defuere qui anno græcam originem tribuere uoluerunt, ἀπὸ τοῦ ἀνανεοῦσθαι, ab innouatione, quod

Annus.

ἐνιαυτὸς

semper

*semper nouus sit: at isti purpureum uidelicet pan-
num & discolorem Latinæ togæ assuere mihi ui-
dentur. Neque minus operosè Eustathius alijque
ἐνιαυτοῦ etymon deduxerunt, παρὰ τὴν ἐν αὐ-
τῷ ἕνωσιν τῶν τεσσάρων ὡρῶν, quod unitæ in eo
sint quatuor anni partes indiuisili coagmēto: sim-
plicius uero & inaffectatius quoq; Theon Alexan-
drinus ἐνιαυτὸν dici ait, quando ab eodem pun-
cto aut tempore in idem recurritur. Longè autem
absurdißima alienoq; loco petita uidetur etymi ra-
tio, ab ἐν καὶ ἰαύειν, à moræ diuturnitate scilicet.
Iam & ἔτος annus eidem genti nuncupatur, ὅτι* ἔτος.
*ἐτάζει, iuxta Platonem, quod se ipse recenset atq;
explorat. Πλείων quoq; uocatur idem usitatiore* πλείων.
*poëtis uocabulo, παρὰ τὸ πάντας τοὺς καρποὺς
τῆς γῆς συμπληροῦσθαι, ut habet Hesychius, quod
uniuersos terræ fructus plenè absoluat, quæsita
remotius uocis origine. Theon nominis occasionē
acceptam refert Pleiadibus (Vergilias nominant
Latini) sic dictis ἀπὸ τοῦ πολεῖν ἐκ περιόδου καὶ
συμπληροῦν τὸν ἐνιαυτόν, quod curriculo an-
num cōstituant. Deinde & λυκάβαντα annū uo-* Λυκά-
ce laciniosa & quā pedestris oratio respuit, poëtæ βας.
*dixere: cuius uaria redditur ratio. Nā sunt qui ita
dici existimant (inter quos est & Didimus) παρὰ*

τὸ λυγαίως βαίνειν, quoniam furtim & inscientibus nobis elabatur. Alij quod more luporum tranatantium amnem, concatenata annorum series decurrat. Suidas & Eustathius, quòd eadem ratione dies perpetua serie inuicem cohæreant: Artemidorus, quia mutuo horarum successu annus compleatur. Dicuntur nanque lupi quoties rapidum aliquod flumen transmittendum est, prehensis mordicus præcedentium caudis transnatare, ut ab Aeliano graui scriptore literis proditum est, neque inficiatur Artemidorus, ne uis fluuij eos singulos rapiat. Aliter Macrobius λυκάβαντα, quasi ὑπὸ λύκου βαινόμενον, id est, à sole calcatum exponit: λύκον enim siue lupũ simbolicè pro sole accipi, eo quod animal istud rapiat & uoret omnia instar solis, & oculorum acie præstans nocturnam caliginem uincat: testimonioq; esse Lycopolin Thebaidos Aegypti ciuitatem, quæ pari religione Apollinem & Lupum coluerit, in utroq; solem uenerando. Quin & ὧρον à quatuor anni partibus, quas illi ὥρας nominant, & τελεσφόρον dixere annum, quia fruges & annotinos fructus, aliaq; omnia consummet, & oportunis temporum uicibus perficiat, εἰς τέλος ἄγων, μηδὲν τι ἐλλείπων, ut annotat Eustathius: Quo respexere, qui

Lib. 2. ὀνειροκριτικῶν.

ὧρος.

τελεσφόρος.

Iliad. π.

qui anno ceu rerum parenti, uim omnium productricem ascripserunt, prouerbiali uersu dicentes, Ἔτος φέρει, οὐχὶ ἄρουρα: *Annus producit, non aruum, quod à Theophrasto libro de plantis octauo relatum est. Cleobulus Lindius, aut ut uult Suidas, eius filia Cleobuline in quodam decantato ænigmate, cuius initium,*

Εἷς ὁ πατὴρ, παῖδες δὲ δυώδεκα, τῶν δὲ ἑκάστῳ
Παῖδες τριάκοντα,

annum facit unicum patrem duodecim filiorum, quibus singulis triginta numero filiæ fuerunt, partim cādidæ, partim fuscæ & atræ, omnes quidem immortales, & tamē morientes: ut per filios menses, eorumq́; filias, dies tum serenos & nubilos, tum prosperos aduersosq́;, prætereuntes quidem, semper tamen recurrentes significaret. In pōpa quadam Ptolemæi Philadelphi, uti refert Athenæus, Dipnosoph. 5. *annum repræsentabat ingrediens medius inter duos Silenos uir quaternis cubitis, Tragico cultu, Tragicæq; in uultu deformatus, aureum gestās Amalthææ cornu, quod uberem rerum omniū prouentum è terra nascentium notabat. Aliter Aegyptij Hieroglyphicis notis figurarunt annum, ut testatur Orus Apollo, pingentes Palmam, quod hæc sola arborum, quolibet lunæ coitu ramulum unum,* βαΐν *appellant, producat: ita ut annuo spatio gi-*

Plenum inquit Lactant. Firmian.

gnat duodenos ramusculos, quot mẽsibus annus absoluitur. Vnde liquet falsum fuisse Erasmum, quando in adagio, Festina lente, Phœnicem pinxisse illos annotat, deceptus ambigua uoce φοίνιξ, pro aue pariter & arbore palma efferri solita. Idem Orus scribit gentem illam pro anni charactere Isidem quoq; pingere, quæ eadem sit caniculæ sidus, quod Aegyptia lingua σῶθιρ, Græca κυνὸς ἀστρα nominat (id enim obiter admonendus est lector, ut pro ἀσρομύωρ legat ex Porphyrio ἀστροκύωρ) eo quod in reliqua sidera imperium obtinere credatur, uel potius quod in eius exortu præsagia sumebant, quid eo anno euenturum esset, rei cuiusq; exitum explorantes. Redeo ad anni effigiem, quem etiam notare soliti erant ueteres, quibus omne studium in obscurioribus symbolis consumebatur, per anguem extrema caudæ suæ mordicus tenentem, ut à Martiano scriptum est, & indicat elegans in primis poëta Claudianus ijs uersibus.

Libro de Nympharũ antro.

Libro I. Philolog.

„ Omnia qui placido consumit numine serpens,
„ Perpetuumq; uiret squammis, caudamq; reducto
„ Ore uorat, tacito relegens exordia lapsu.

Quò etiam ἐνιαυτοῦ etymon uocat grammaticorum curiosus senatus, & asserit Seruius incitatum paulo antè Virgilianum carmen. Quin & Panos, qui

nos, qui totius Naturæ ſymbolum gerebat, pedum, ſiue recuruum baculum, anni in ſe recurrentis notam habebat, quod nos olim in Panos emblemate luſimus,

At baculus quoniam nomine curuus adeſt? "
Signat, qui ſua per ueſtigia labitur, annum, "
Atq; in ſe ſimilis uertitur uſq; ſui. "

Fecerũt priſci homines & bouem annum, quod ab Euſtathio annotatum eſt, διὰ τὸ κατὰ βοὰς ἐργατικὸν τῆς γενέσεως, ob enixum in gignendo ſtudium atq; operam more boum. Præterea antiquiſsimus Græcæ theologiæ ſcriptor Orpheus, forſitan ad Aegyptiorum philoſophiam, de qua ſuperius memini, alludẽs, μόσχον, hoc eſt, ſtolonem ſeu uiuiradicem nominauit, διὰ τὸ ἀεὶ νεάζειν ἐφ' οἷς ποιεῖ, quod in omnibus quæ producit perpetuo uireat & iuueneſcat: niſi μόσχον uitulum interpretari malumus, quãdo utrunq; ea uox ſonat. Fallitur autẽ qui ſcripſit Euſtathij autoritate, menſem bouem uocari à lunæ cornibus, & menſis initium. μόσχον: Siquidem ea quæ nos adnotauimus, leguntur diſertè in commentarijs in Iliados primũ. Vnicornem deniq; idem Orpheus, ſiue μονοκέρωτα finxit, eo quod quælibet anni pars ſingularibus munijs ac functionibus peculiaribus deputata ſit, uni-

tatis ritu. Quid, quod & Iani gemini effigies claues tenentis ab Numa rege dedicata, annum designabat, in cuius dextra, litera ͞ɔ, in læua ξε expressæ, dierum totius anni numerum, nempe trecentorum sexagenûm quinûm, demonstrabant: Quamuis & quadriformem Ianum pinxisse ueteres ex Suida constat, ut notarent uariantes quatuor anni partes. Porrò non est obliterandum illud silentio, quod Aelianus libro de Prouidẽtia prodidit, apud Gadeis aram fuisse Anno positam, & Mensi alteram, in honorem longioris breuiorisq; temporis: quemadmodum neq; illud quod annus Ioui, mẽses Iunoni dicati fuerint.

Quotuplex apud priscos fuerit annus, Cap. II.



Nnus fuit apud ueteres multiplex, quanquam triplicem Censorinus & Macrobius posuerint, Vertentem, Ciuilem, & Magnum. Naturalis, qui & Solaris, & Seruio Honorato Solstitialis, Vertẽs Ciceroni, Vitruuio, Suetonioq; recursu solis, percursis duodecim signis, eodem unde discesserat remeantis, describitur Censorino: duodecimq; mensibus finitur, quem in tricenos sexagenos quinos dies digeßisse primũ Thaletem Milesium opinantur nonnulli. Eundem magnum

Annus Vertẽs.

gnum quoq; uocauit Maro ibi,

Interea magnum sol circumuoluitur annum. »

Vertētem ita definit Marcellinus, spatium, inquit, Lib. 26.
Vertentis anni id esse periti mundani motus & sy
derum definiunt ueteres, cum sol perenni rerum
sublimium lege polo percurso signifero, quem zo
diacum sermo Græcus appellat, trecentis & sexa
ginta quinque diebus: mensis & noctibus ad eun-
dem redierit cardinem. Sequitur Ciuilis annus cu Annus Ci
iuslibet nationis proprius, siquidem ingens fuit a- uilis.
pud uarias gentes in anni obseruatione discrimen,
& multiformis ratio. Chaldæi nanq; menstruum
habuerunt annum in antiquitatum suarum dimen
sione: similiter & Aegyptij menstruo spatio pris-
cis temporibus anni metas cohibuisse leguntur, un
de in commentarijs in Platonis Timæum Proclus
scribit autoritate Eudoxi, mensem annum nomina
re Aegyptios: quæ opinio nata uideri potest ex
μῆν@, id est, mēsis nomine, qui primus apud illos
regnum tenuit, si fidem merētur Thurij Herodoti In Euter-
uerba. Eorūdem annus postea quadrimestris fuit: pe.
demum ad duodecim menses diesq; quinos excur-
rit. Iberis itidem quadrimestris ut plurimum an-
nus fuit, ut Xenophon æquiuocorum autor com-
memorat, Arcades antiquitatis opinione stultè

gloriosi, ut quartorum suum Luna priorem asserebant, trimestrem fecere, Plinio teste. Acarnanes & Cares semestris spatij cancellis incluserunt, ut aestatis curriculo, itidem ut hyemis, annus finiretur. Persae certius trecentis sexaginta quinq; diebus absoluere annum. In Latio priscis hominibus tredecim menses diebus tricenis septuaginta quatuor absoluti annum circumscribebant. Romulus decimestri spatio metitus annum commemoratur: quem in imperio secutus Numa Pompilius, mutata sententia & ad Aegyptios, quorum tunc celebris habebatur disciplina, nutante, insitione duorum mensium elongauit. Tandem quum progressu temporum multum legitimo anni dimensio decedere compertum foret, Caesar à Memphiticis philosophis (his nanq; correcti ad solis cursum anni gloria aßignatur) edoctus, à Sosigene eius scientiae peritißimo, ut habet Plinius, quarto quoq; anno (qui bisextilis nomē cœpit) diem intercalarem (ἐμβόλιμον quasi insititium Graeci appellant, alij etiam bissextum quod à Calendis Martijs sit sextus) interserendum decreuit, & confirmauit Augustus, addita tamen correctionis nota, qua quod ille incipienti anno praestrui, iste absoluto quadrienno adijci uoluit. tametsi nec hac quidē ratione, ut omnia

Lib. 7. (margin, beside "bant, trimestrem fecere")

Lib. 18. cap. 25. (margin, beside "ritißimo, ut habet Plinius" and "bisextilis nomē")

adamus=

adamußim solari anno responderent, effectum est: quandoquidē adiectis cuilibet anno ad dierū mensium senis horis (quæ in caput collectæ quartum quemq; annum die uno locupletant) commissus fuit error, sed tamen leuis, ut qui integræ annorū centuriæ uix unius dieculæ pondus deducit. Legitimus nanque annus quem è cursu solis describunt, trecentis sexagenis quinis diebus cōstat (ut harum difficultatum curiosi inquisitores colligunt) horis quinq;, minutis (λεπτὰ nominant) quadraginta nouem, & amplius secundis sex: Vtendum est enim necessariò artis uocabulis, ubi alia non suppetunt: ita fit ut in quadriennio duæ tertiæ partes horæ, et aliquanto plus subducantur. Qua quidem in re Galenum quoq; hallucinatum insimulant, qui non minorem, sed portionem diei quadrāte maiorem singulis annis accedere autor fuerit. Aliter Dion, Cæsar, inquit, apud Alexandrinos de anni ratione edoctus, annum constituit diuersum nonnihil ab Alexādrinis, qui triginta singulis mensibus dies attribuunt, dein quolibet anno quinos dies adiungunt: hos enim ille superuacancos dies in menses redegit, uniq; duos detraxit, dein quarto cuilibet anno inserendum admiscuit intercalarem, ita ut horæ unius uix minimo momento discordes sint, quo fit ut in Lib. 43.

annis

„ annis mille quadringentis sexaginta & uno ueniat intercalãdus solum unus dies. Hæc ille. Sed nos mi nutijs istis salebrosis ualedicimus, per quas uix unus dies multis annorum centurijs reliquus fit eua riato tot annorum cursu: satiusq; est multo Menip pis istis astra temerario uolatu superantibus hæc relinquere. Verum de his satis superq;. Nunc ad magnum annum stylum uertamus, quem maximũ Aristoteles uocat. Is iuxta Tullium duodecim millia quingentos quinquagenos quatuor annos conti net. Platonici magnum statuunt, quando in uno eo demq; signo uniuersitas planetarum in eandẽ par tem (μοῖραν nominãt) concurrerit, ut in Aratum scribit Theon: ac tum demum mundi interitum instare, illisq; de integro cursum reuocantibus, alterius mundi initium fore, quod multis annorum my riadibus definiunt, eiusque anni hyemem κατακλυσμὸν, diluuium: æstatem ἐκπύρωσιν, id est, incendium nominabant, ut annotant nonnulli. In eandem ferè sentẽtiam & Cicero, Re ipsa, inquit, quum ad idem unde semel profecta sunt, astra redierint, eandemq; totius cœli descriptionem lõgis interuallis retulerint, tunc ille uere Vertẽs annus appellari potest. Iosephus sexcẽtis annis magnum annum perfici scribit, cuius hæc sunt uerba. Ἑξακοσίους

Annus magnus.

Lib. 6. de Rep.

κοσίους ἐνιαυτοὺς, ἀλλὰ τούτων γὰρ ὁ μέγας ἐνι- »
αυτὸς πληροῦται. Oenopides Chius astrologus »
magnum annum censuit esse, undesexaginta anno rum, erecta etiam apud Olympios ænea statua eius rei teste, ut apud Aelianum legitur. Democritus *Abderites ex octoginta duobus* Vertentibus *annis ac mensibus intercalarijs uiginti & octo:* Hippar*chus è trecentis et quatuor suum annum magnum constituebant. Physici quindecim millibus annorũ peractis metiuntur, teste* Macrob. Heraclitus *decẽ & octo solarium annorum millibus et octingentis. Quidam etiam infinitum illum statuunt, neq; in se reuerti unquam.* Fuit *& magnus annus Chaldaicus, duodecim cõstans annis,* Δωδεκέτηρις *inde dictus.* Fuere *& alij anni magni,* ἐννεέτηρις Enne*eteris octo annorum à* Leostrato Tenedio, *aut ut alij* Eudoxo Cnidio *instituta: &* Penteteris, *quam Olympiadem nuncuparunt ab Olympiorum ludorum recursu, quarto quoq; anno exacto celebrari consuetorum,* Latinis *lustrum, quod quatuor annis absolutis constabat: ut Trieteris duobus.* Fuit *& Metonis Atheniensis, aut, quod* Aeliano *magis placet,* Laconis, *annus, cuius et* Cicero *meminit, quem* Meton Pausaniæ *filius Athenis proposita tabula constituit decem & nouem continentem annos, unde &*

Libro 10. uariæ historiæ.

de & ἐννεαδεκέτηρις dictus quo solis pariter & lunæ meatus uniri asserunt. Iam uerò uariant & Planetarum anni, ut Saturnius triginta annis, Iouiális duodecim describatur: Martis biennio: quorum cursum totidem uersibus inclusi, quot nu mero feruntur, quos libuit obiter hoc in loco com modè ascribere.

» Saturnus dena peragit trieteride cursum.
» Signiferum absoluit duodenis Iuppiter annis.
» Mense quater seno trux circuit astra Gradiuus.
» Curriculum Titan bissenis mensibus implet.
» Tercentum denasq; quater luces petit Hermes:
» Adde nouem, hanc Cytheræa Venus uult currere
» metam.
» Omnem mense polum Phœbe nocturna pererrat.

Hactenus de uarietate annorum, nunc anni par tes exequamur.

De anni partibus, eiusq́ prin cipio, Cap. III.

Annus in quatuor genericas, insignibus tē peramentorum differentijs separatas, par tes diducitur, ὥρας nominãt Græci διὰ τὸ ὁρίζειν, ut Platoni placuit, nimirum uer, æstatem, autum num, et hyemem, quæ quidem anni discrimina pri mus instituisse & nominibus suis donasse ingenio

sus ille

sus ille Palamedes dicitur: ac mensium quoq; curricula digeßisse, annoq; nomen creasse, uti scribit in Heroicis Philostratus. Eas fabuloso figmēto Martianus his uerbis descripsisse uidetur. Quatuor, inquit, sunt urnæ apud Latoium Phœbum positæ, ex uarijs metallis formatæ, è ferro, argento, plumbo fusili, & uitro. Ferrea, uortex Mulciberi dicebatur, ex ea anhelabat flamma. Argentea, uernantis cœli temperie renidebat, serenaq; præ se ferebat, hæc dicta fuit Iouis risus. Plumbea, plena undosæ hyemis ac rigoris, pruinarumq;, dicta Saturni exitium. Vitrea, ad dexteram dei posita, aëris totius seminibus erat referta, dicta Iunonis ubera. Quibus uerbis sub poëticæ fictionis inuolucro clarè exprimit primo loco feruidam æstatem: dein ueris temperiem: mox hyemis asperitatem: postremò pomiferi autumni ubertatē lusu nec indocto nec inamœno describit. Simili propè commento occiduos populos usos fuisse autor est Theopompus, qui hyemem appellant Saturnum, æstatem Venerem, uer Proserpinam, atq; è Veneris & Saturni mixtura cuncta gigni fabulabantur. Pythagoras quoq; patrem temporum hyemem dixit teste Porphyrio. Alij etiam ulterius prouecti, Phryges hyeme dormire Deum somno sepultum asseuerarunt, uere

Libro 2. Philolog.

rursus

rursus euigilare: & Paphlagones hiberno tempore compedibus uinctum, uerno iterum moueri uinculisq́; expediri persuasi erant. Non defuere qui in septenas partes annum dispartiti fuerint, relinquẽtes uer & autumnum indiuulsos & integros: hyemem distrahentes in treis partes, quarum prima semẽti dabatur: altera ad solstitium cõsumebatur: tertia plantationes & insitiões finiebat: rursus æstatem binis determinãtes partibus, primã à Vergiliarum ortu exorsi in Canis emersu desinentes: alteram uerò à cane ad Arcturi usq; exortum producentes: ita ut ueri itidem ut Autũno bini tantum menses aßignarẽtur, hyemi similiter & æstati qua terni, quemadmodũ in Epidemijs differit Galenus. Anni autem principium Romulus à Martio in honorem Martis è quo prognatus credebatur, inchoauit: mox Numa siue præceptis Pythagoræ doctior, siue Egeriæ nymphæ monitis imbutus, ad cursum solis annum acceßione duorum mensium extẽdendo, è decimestri duodecimestrem, hoc est, δωδεκάμηνον fecit, certaq́; ratione anni exordium à Ianuario est auspicatus, quẽ siue à Iano gemino, qui & præcedentis anni metam & sequentis frontem uideat atq; uniat: siue à Ianua (quod uoluit Porphyrius) nominis originem trahere uelis, haud ini-

quam

quam rationem comperies. Nam quum Græci theo logi (de priscis loquor) binas statuant portas com meatus solis, quæ Plato ora, Homerus fores fabulosè nominat in antri Ithacensis descriptione, Cancrum uidelicet & Capricornum, appositè Ianuario eam incipiẽtis anni prærogatiuam ille tribuit, quum sol ab imo animalium zodiacũ circulum pingentium positu redux, lõgioris lucis usum reuehit, tenebrarum imminuit, & ad borealem plagam enititur. Athenienses annum à solstitio æstiuo auspicatos fuisse, præter alios testis est locuples Simplicius. Arabes & Damasceni à uerno æquinoctio, ut ab autumnali Asiatici & Aegyptij inchoarunt, quibus September anni initialis erat mensis, quod initium etiam Iudæi secuti ante exitum ab Aegypto, mutarũt postea iussu Dei. Sunt tamen qui Arabas, ab Almuharam, qui cum septembri idem est, annũ auspicari quoq; prodiderint. Porphyrius haud dilutæ autoritatis scriptor, acerrimus sit licet religionis nostræ oppugnator, apud Aegyptios anni auspiciũ à Cãcro sumi perhibet, cui aßistat Sothis, ita caniculæ sidus nominant, cuius ortus anni primordia illis definiat.

De mensibus, eorumque nominibus iuxta diuersas nationes uarijs, Cap. IIII.

MEnsi apud Græcos nomē dedit Lunæ, quā μήνην appellant, curriculum apud Latinos quod eius cursus mensa spatia conficiant, teste Probo grammatico. Is aut solaris est, quandiu uno in signo moratur sol: aut lunaris tricenū dierum, quos in peragrando signifero absumit sol, quē uertentem appellat in nono architecturæ Vitruuius: quanquam alia ratio ab Indis obseruata fuerit, te-
Lib.8. *stante Qu. Curtio, in quinos denos dies menstrua spatia describentibus: idq; ad Lunæ cursum in cornua se curuantis, non ut pleriq; orbem implēte sidere. Mensibus Romani imperij tempora ingētem uim attulere, nam à Nerone Neroneus dici cœpit Aprilis: Maium Claudij nomen occpauit: Iunius*
Lib.16. *Germanici uocabulo mutatus, teste Tacito: Quintili mensi natalis Cæsaris nomen creauit: Augusti uictoria & præcox consulatus Sextilem mutauit: Octobrem non alio quam suo nomine uoluit appellari Domitianus, quem postea in honorem Faustinæ Faustinum nominandam censuit senatus teste Capitolino, ut Septembrē Antoninum ab Antonini*


Pij memoria: Nouembrem Tiberium senatus adulabundus dixit, quod eius mensis decimo sexto die fuerit in lucem æditus, uti refert Dion. Sed rem ominosam expertus idē ille senatus eradi è saxis & ære nomina decreuit, ita tyannicæ appellatiōis usurpatiōe exuti fuere mēses, ut inquit Macrobius. Lib. 57. Postea tamē pristinus mos repetitus est, quādo Taciti nomen September induit ab Imperatore eius nominis, quod eo & natus & imperium ascitus fuerat, testante Vopisco. Commodo Antonino Parasiti Augusti mensis nomen in Commodum permutarunt: Septembrem dixerunt Herculeum: pro Octobri Inuictum: loco Nouembris Exuperatorium: uice Decembris Amazonium nominarunt, autore Lampridio. Suetonius uero Octobrē Herculeum, & Eutropius Septembrem Commodum nuncupatos scribunt. Suidas hoc ordine institutos ab eo mēses enumerat, Amazonius, Commodus, Augustus, Herculeus, Romanus, Exuperatorius, Inuictus, Pius, Fortunatus, Lucius, Aelius, Aurelius. Huic assentationis uitio proximi Athenienses postremum cuiusq; mensis diem in gratiam Demetrij Poliorcetæ cognomento dicti, nominarunt δημητριάδα, ut refert Polemon, quam cæteri τριακάδα, Attici ἔνην καὶ νέαν teste Hyperide. Sed de his plus

satis. Porrò Athenienses lunari cursu totius anni menses metiebantur, non solari: lunaris trecentos quinquagenos quaternos dies cõplectebatur, cõfirmante istud et Herodoto: *solaris habebat trecẽtos sexaginta quinq;, quo fiebat ut superantes è singulis annis dies undecim, triennio iam decurso in unum mensem cogerent,* ἐμβόλιμον, *id est, insititium dictum è tricenis tribus diebus constantem ut à* Libanio *relatum est*: Eandem *rationem obseruabant & Iudæi tertio quoq; anno embolimon mensem adnectentes. Qua quidem in re plus Græcis uidisse Aegyptios asseuerat* Herodotus *his uerbis:* ἄγουσι δὲ τοσῷδε σοφώτερον ἑλλήνων, ὡς ἐμοὶ δοκεῖ, ὅσῳ Ἕλληνες μὲν διὰ τρίτου ἔτεος ἐμβόλιμον ἐπεμβάλλουσ ὡρέων εἵνεκεν. Αἰγύπτιοι δὲ τριακονθημέρους ἄγοντες καὶ δώδεκα μῆνας, ἐπάγουσιν ἀνὰ πᾶν ἔτος πέντε ἡμέρας. *hoc est,* Aegyptij *faciunt eo consultius quam* Græci, *quo hij quidem tertio quoque anno insititium adijciunt mensem, propter anni stationes: illi uero duodecim menses tricenum quemq; dierum obseruantes, quolibet anno quinos*

Lib. 17. *dies adiungunt, quod ipsum &* Strabo *repetit, addens quod menses tricenum dierum statuere, sit solarem rationem sequi. Cæterũ legitima & uera*

mensium Græcorum ratio difficulter iniri, & cum Romanis componi potest, cum propter discrepantes ac controuersas Grammaticorum inter se pugnantium sententias, tum forte quod alia νουμηνιῶν (quæ lunæ conceptui respondentes Calēdarum uicem obtinebāt) initia alij atq; alij statuerint: quē admodum è Plutarcho in Aristide liquet, qui prælium ad Plateas commissum decimoquarto die Boëdromionis secundum Athenienses, in uicesimā sextam Panemi apud Bœotios incidere, scribit: additq; neminem mirari debere eam dierum diuersitatem, quum diligētissimi quinq; astrologi sua tempestate aliud atq; aliud initium pariter & exitum mensis statuerint. docet istud & Thucydides exactissimus historiarum scriptor, memorans diem in Lib. 4. duciarum inter Spartanos & Atheniēses initiarum eandem esse Atheniensibus decimumquartum Elaphebolionis, cum duodecimo Gerastij apud Lacedæmonios. Præterea ex Epiphanio colligere abunde licet, quod Maij mensis principium iuxta Aegyptiorum rationem, in uicesimum quintū Aprilis, at secundum Macedonum computationem, in uicesimum tertium eiusdem (quem nonum Calēdas Maij scribere receptum est) caderet: autoris uerba clarissimè istud monstrant, in libro cui titu-

C 3 lus



» lut Ἀνακεφαλαίωσις. Ἐφ' ὧν ἐτελεύτησεν
» ὁ Οὐαλεντινιανὸς ὁ νεώτερος, υἱὸς οὐαλεντι-
» νιανοῦ τοῦ μεγάλου, εὑρεθεὶς ἄφνω ἐν τῷ Παλα-
» τίῳ πεπνιγμένος, ὡς λόγος, ἐν εἰδοῖς μα-
» ΐαις, πρὸ μιᾶς ἡμέρας τῆς πεντηκοστῆς ἐν ἡμέ-
» ρᾳ σαββάτου, αὐτῇ δὲ τῇ ἡμέρᾳ τῆς πεντη-
» κοστῆς ἐξεκομίσθη. ἦν δὲ κατ' αἰγυπτίους το-
» τὲ μηνὸς παχὼν μία καὶ εἰκάς, κατὰ δὲ ἕλ-
» ληνας, ἀρτεμισίου τρίτη καὶ εἰκάς, κατὰ ῥω-
» μαίους δὲ πρὸ δεκαεπτὰ καλάνδων ἰουνίων.

quæ uerba etsi triuialia et cuius facile obuia, in gratiam tamen eorum qui græcè non callent, uertã obiter. Quo tempore Valentinianus Iunior uita excessit, Valẽtiniani magni filius, strangulatus in Palatio subitò repertus (ut fama est) Idibus Maijs, die sabbati, pridie Pentecostes: ipso Pentecostes die funere elatus. Erat autem mensis Pachon iuxta Aegyptios uicesimus primus, secũdum græcos Artemisij tertius & uigesimus: at iuxta Romanos ante decimum septimum Calẽd. Iunias. Quod autem sibi ipsi non constant grammatici & scriptores, meridiana luce clarius est. Phauorinus ποσειδεῶνα *sextum Atheniensium mensem scribit, & Decembrem exponit, ignarus ab Hecatombæone (qui annum illis exordiebatur) auspicanti, septimum*

*mum in rationis subductione fore: eundem tamen Ianuarium reddit ipse Plutarchus ubi de traiectu Cæsaris in Macedoniam loquitur. Harpocration Rhetorici Lexici autor μαιμακτηριῶνα quintũ facit mensem, quum sit quartus ordine: Idem rursus ἀνθεστηριῶνα octauum statuendo, insigni in errore uersari deprehenditur, quum Posidiona præcedat: eundem Plutarchus in Sylla Martium tradit, his uerbis, μαρτίαις καλάνδαις, ἥτις ἡμέ- »
ρα συμπίπτει μάλιστα τῇ νουμηνίᾳ τοῦ ἀνθεστη- »
ριῶνος μηνός. id est, Athenas cepit Calẽdis Mar »
tijs, qui dies fermè incidit cum primo die mensis Anthesterionis. Iam & Suidas μαιμακτηριῶνα quintum esse mensem, diciq; Romano sermone Ianuarium annotat, quum alio loco γαμηλιῶνα Ianuarium uelut sui oblitus interpretetur. Deinde μουνυχιῶνα secundum mensem facit, quum alibi μεταγειτνιῶνα secũdum definiat & quidem recte, in illo toto cœlo errans: siquidem orator Hyperides decimam μουνυχιῶνι classem ascribat. Iterum Suidas ἀπελλαῖον Decembrem ponit, quem Epiphanius perperam Augustum, & rursus alibi sui immemor Nouembrem recenset. Demosthenis scholiastes Vlpianus σκιῤῥοφοριῶνι undecimum locum tribuit, rectius cum Suida duodecimum illi*

cessurus. Iosephus quoq; in altum nos chaos conijcit, quando secundum ex Hebræorum sentẽtia mensem, illis Marsonanen (ut inquit) dictum, apud Macedonas δῖον nuncupari scribit, quum Galenus hunc Septembrem faciat: itaq; si ab æquinoctio autumnali, quo in Septembrem incurrit, annum illi auspicantur, necesse est secundum ab eo δῖον Octobrem contra Galeni autoritatem reddere. Sed hos scrupos atq; salebras acceptos referre possumus mensium incursionibus, dum alter alterius ius inuolat atq; occupat, quod ex Galeno demonstrat Gaza, quod quo tempore apud Romanos September agitur, apud Pergamenos ὑπερβερεταῖος, Athenis mysteria celebrentur, quæ Βοηδρομιῶνος περὶ εἰκάδα celebrant Athenienses autoritate Plutarchi: præterea ex Halicarnassæo Dionysio, qui quum octauo die ante exitum θαργηλιῶνος (quem nos Aprilem interpretamur) decem & septem diebus ante solstitium æstiuum, captum Ilium refert, monstrat euidentißimè bonam Maij partem insedisse Thargelionẽ iuxta nostram computationem, eliso etiam Scirrophorione magna ex parte, cui Hecatombœon succedit, ad quem solstitium referunt omnes: nisi quis cum Gaza culpam uel in Ephori, cuius ille autoritatẽ est secutus, oscitantiam

Lib. 1 cap. 4.

tantiam

tantia: uel græcam uanitatem, aut bibliopolæ inertiam referat: tametsi error scioli cuiuspiam uitio commißus uideri potest, qui Thargelionẽ Maium esse ratus, in margine sui codicis commentum adiecerit tale, decimo septimo ante solstitiũ die: quod postea in contextum irrepserit. Idem usuenit in Hebr*æis mensibus, quorum quartum nobis* Iulium *uocari, septimum* Octobrem *scribit* Hieronymus, *non omnino erroris uacuus:* Pro *quo notandum* Iu*dæos olim auspicatos fuisse anni initium, ut superius quoq; diximus, ab æquinoctio hyberno, cui & genitalis ortus mundi ascribitur, idq; ante discessum gentis* Iudaicæ *in* Aegyptum: *postea sub emigratione cœtus* Israelitici *ex* Aegyptiaca *seruitute, mẽsem* Abib, Chaldæis Nisan *dictum,* Deus *ipse mensium principium præscripsit (ut caput* Exodi *duodecimum testatur) translato prærogatiuæ honore ab autumnali ad uernum æquinoctium, ut melioris mundi* Palingenesiæ, Christi *morte sanciendæ, spem nobis faceret.* Itaq; *tantum exorbitat* Hie*ronymus, quantum est spatium ab æquinoctio uerno, quod primum* Hebræorum *mẽsem inchoare debet, usq; ad sequentis mensis initium.* Accedit *ad supradictas difficultates, cur ita euariarint menses olim, id quod* Iulius Solinus *scribit, quod sacerdo-* Cap. 3.

tes antiquitus gratificantes publicanorum rationibus, pro libidine sua uel subtraxerint tempora uel
Lib. 26. *auxerint: cui & Marcellinus suffragatur. Cæterũ illud obiter dixerim hic, propter lubricũ istud atq; difficile iudicium & malè securam censuram dierum cuiq; genti in suis mensibus (Romanos excipio) obseruatorum usq; adeò diuersimodè, me hoc sequi in Fastis meis, ut, exempli gratia, quod Græci θαργηλιῶνος ἑβδόμῃ ἱσταμένου ascripserunt, ego Aprilis septimo itidem tribuerim, utrunq; dissideant apud alterutram nationem initiales et huius & illius dies: Idem iudicium & de Hebræis habendum, ut quod illi in decimumquartum mẽsis Nisan referunt, ego eidem dierum Martij numero apponã, & sic de reliquis, ne seorsim Romanos Fastos, seorsim Græcarum rerum acta, similiter & Hebraicarum pinacas conscribere cogerer. Quod autem ad mensium nomenclaturam & ordinem attinet, Gazæ hominis natione Græci, & citra cõtrouersiam utriusq; linguæ Coryphæi iudicium sumus secuti, quos quibus nominibus uariarum gentium idiomata compellãt singulatim recensere atq; enucleare pro tenuitate mea satagam.*

IANVARIVS *mensis anni apud Romanos auspex, à Iano Latij rege nomen habet, quem pro-*

ptereo bifrontem pingi ait Isidorus, ut introitum anni pariter & exitum demonstraret: quanquam Lõginus Caßius uetus Grammaticus dictum quasi αἰωνοάριον, hoc est, æui parentem cõtendit: nam à ianua superius ascriptum etymon è Porphyrio petendum est, ne bis idem dicamus. Hunc Athenienses à statis nuptialium dierum festiuitatibus, γαμηλιῶνα, uelut nuptialem nominarunt: Iones Lenæum & ληναιῶνα, à Bacchi anniuersarijs ferijs: Cyprij ἔδιον, forsitan à uestibus quas Cõsulatum aut magistratum inituri primordio anni nouas sumebant, nisi ad Vestæ numen referre libeat. Epiphanius αὐδηναῖον & νυχιῶνα à Macedonibus uocari autor est. Aegyptiorum lingua τυβὶ Tybi, secundum Theonem, appellat. Chaldæa Sebat, aut ut alij scribũt Schebath. Antiqui tutelæ Iunonis hunc mensem dicarũt. Solinus ait Ianuarium dijs superis dicatum propter dies impares, quem numerum Pythagoras monuit præponi in omnibus oportere. Sunt qui Ianuario principem inter menses locum datum prædicãt, quod eius Calẽdis, exactis Regibus, primi Consules creati fuerint. Cap. 3.

FEBRVARIVS, quem postremum anni mensem Festus Pompeius scribit, uelut primatum Martio tribuens, nomẽ inuenit, à februando, quod

tum

tum februaretur, hoc est, expurgaretur populus, nam per dies duodecim cõtinuos februa celebrabantur pro defunctorum manibus: ea uox purgamina significabat apud priscos Romanos Ouidio *teste: non autem à* Februo*, id est,* Plutone*, cui sacra fieri hoc mẽse solere somniat* Isidorus*, tametsi etiam* Seruius Februũ Ditis *patrem faciat: neq; item à febris rigoribus, ut nugatur* Honorius. Huc *facit quod* Plutarchus *Februarium mensem sonare græcè* καθάρσιον*, id est, expiatorium, annotat in uita* Romuli*: in quam sentẽtiam* Iuba Maurusius *nomẽ ei esse à tollendis atq; abolẽdis spectrorum terriculamentis, maniumq; quibus parentabant phantasmatis, scripsit* Athenæo *testãte.* Nam *ridiculum est, quod* Suidas *huius mensis nomen refert ad* Februarium *quendam* Consulem Romanum*, genere* Gallũ*, qui inimicitias maximas exercuerit cum* Camillo*, insontemq; falsis testimonijs uelut ad tyrannidem aspirãtem in exilium eiecerit: quem postea, recuperata è* Gallorum *manibus* Roma, Camillus *nudatum uestibus, & scirpea storea indutum à lictoribus flagellatum, urbe expulerit, relicto ab illius nomine mutilo mense.* Hunc ἐλαφηβολιῶνα *à deciduis ceruorum cornibus, aut ut alij malunt, ab* Elaphebolijs Dianæ *sacris, in cuius tutela cerui habebant,*

bebātur,dixerunt Athenienses:nam falsus est Lau rētius Valla qui Elapheboliona Decembrem exponit apud Thucydidem. Eundem περίτιον nominarunt Macedones, autoritate Suidæ & Iosephi: Cyprij ξωμαῖον: Lacedæmonij γεραίσιον testimonio Thucydidis lib.quarto: Troëzenij γεραστίωνα: Aegyptij μεχείρ: Syri Adar ἀδὰρ, quem postremum anni curriculum claudere facit Iosephus. Germani à cornuum mutatione Hornungum uocitant, quæ uox ἐλαφηβολιῶνος etymo non abludit. ijdem & Coruorū mēsem: at Belgæ Sporckellum à collectaneis quisquiliarum quas defluxa iam hyemis sæuitia igni adijciunt tenuiores. Antiquitus sub Neptuni tutela fuit: Solinus ait deputatū esse dijs inferis propter dies pares.

MARTIVS mēsis Marti sacer, ut in Numa uult Plutarchus, aut ut alij, sub Mineruæ tutela: Attica lingua μουνυχιὼν, à Munychijs Dianæ ferijs, teste Plutarcho in Theseo: à Macedonibus ἀρτεμίσιος, quasi Dianius, si Galeno standum est, dictus, nam Epiphanius ἀρτεμίσιον cum Pachone seu Maio cōfundit, ut paulo ante ostensum est: Cyprijs ἀφροδίσιος autoritate Porphyrij, quasi Venereus, dicitur: Quid, quod & δύστρον Macedonum lingua nominari testantur Iosephus, Suidas,

Anato-

Anatolius. Aegyptijs φαμενὼθ, ut in Aratum annõtat Theon. Hebraica lingua Abib nominatur, quasi culmus spiciger, quod in eo spicæ è culmis excāt in regione Iudaica, ut uidere est Exodi capite decimo tertio & tricesimo quarto: Chaldaica uoce Nisan, Hebrææ genti postea pro eodem mense familiariora facta. Porrò à Marte fabuloso genitore primi mensis nomen sanxit Romulus, ut plerisq; placet: Isidorus Hispalēsis Martio nomē inditum ait, quod tum animantes ad marem coitu gliscant, quem sequitur & Honorius Augustodunensis non libenter postremi nominis scriptor.

APRILIS ab aperiendo nomē accepit, quod terra mater sua uiscera recludat, opesq; suas refundat. Sunt qui ueluti aphrilem ἀπὸ τοῦ ἀφροῦ, à spuma genitali qua fabulosi Venus orta credebatur, dictum autumant, ac propterea secundum locum è Romuli instituto accepisse, ut parenti Martius, generis autori Veneri Aeneæ matri, ad quem genus referebat, proximus locus iure cederet: sic fermè Ouidius & Macrobius. Non dißimili à priore ratione θαργηλιῶνι nomen illi crearunt Athenienses, quod tunc incalescat genitali calore tellus: quāquam ad Thargelia Apollinis festum, nominis originem referre malint alij, cui in ollis excoquebantur

bantur

bantur fructuum primitiæ. Cyprij ἀπογονικὸν iuxta superiorem sensum à gignendo nominarunt, quemadmodum βύσιον quasi φύσιον Delphi, quod tunc producat credita sibi semina parẽs terra, παρὰ τὸ φύειν: mauult tamen Plutarchus βύσιον quasi πύσιον à cõsulẽda oraculi uoce, quod hoc mense responsa dabat, dictum, quo nomine mirum mihi uidetur, quod Gyraldus uir multæ lectionis addubitet, quinam fuerit mensis, quum Plutarchus in enumeratione capitum Græcorum, eius mẽsis septimo natalem Apollinis adscribat, quem constat ex eiusdem & Laërtij autoritate, septimo Aprilis die æditum fuisse: utrunq; ille θαργηλιῶνα reddat Februarium oscitantior suiq; oblitus. Macedones ξανθικὸν: Aegyptij φαρμυθὶ: Hebræi Zio uel Zif efferunt, nomen habentem à splẽdore: Chaldæi Iiar dixerunt quasi mensem apertionis florum, quæ uox & in coloniam Hebræam translata est, post multorum annorum eius gẽtis apud Chaldæos moram: habeturq; secundus mensis, ut Nisan primus ob festorum celebritatem. Veteres Latini tutelæ Veneris hunc attribuere, unde Flaccus de Idibus Aprilis loquens, Qui dies, inquit, mensem Veneris marinæ Findit Aprilem. Græci, teste Suida, tutelam eius ad Apollinem referunt.

Maium

MAIVM mensem à maioribus dictum arbitrantur, cuius ordinis reuerentiæ eum honorem tribuerit Romulus, quod in rebus dubijs post deorum opem, senectuti cõsultæ proximus debeatur locus: alij à Maia Mercurij matre nomen habere existimant: at qui Maium quasi Madium, quod imbribus ob exortum pluuialium syderum madeat, dictũ asserunt, longius simul & alienius deriuationem nominis repetere mihi uidentur. Oscorum lingua Mesius uocabatur: Attica σκιῤῥοφοριὼν, à Scirrhade Minerua, cui sacra fiebant, aut secundum alios, ab umbellis, quæ σκιῤῥὰ nominãtur, quas ex arce Mineruæ sacerdos cum Neptuni & Solis Flaminibus certum in locum deportabant, ædificandi argumento. Cyprij ἀωνικὸν nominabant: Aegyptij παχὼν: ubi obiter adnotandus uenit crassus imò portentosus Baptistæ Pij error, qui dum oscitanter legit uersiculum græcum, quo Pachon dicitur seruare falcibus arefactas segetes, substituit in loco Pachon, mensis nomen Auanthenta: ita nanque uertit quod græcè est, ληΐα δ' ἀυανθέντα παχὼν δρεπάνοις φυλάσσει, Incisas Auanthenta falcibus messes custodit. Epiphanius repugnante Galeno Macedonum ἀρτεμίσιον hunc facit. Hebræi Siuan, aut ut habet Iosephus σαββὰ uocatur,

quæ

quæ uox in Ruffino perperàm legitur conuersa in Sedebath. Maium Mercurio sacrum uult Plutarchus in Numa: alij tutelarem ei constituunt Apollinem.

IVNIVS *iuuenum honori datus post maiores, qui manu rem fortiter gerẽdo, pro aris focisq; starent: alij à iungendo deriuant, ab animorum cõiunctione, qua Romani & Sabini depositis simultatis & irarũ causis, uniti in unam gẽtem coaluere: Non desunt qui à Iunone dictum rentur, ut qui & Iunonius apud Laurentes & Aricinos, Iunonialis apud Prænestinos, Nasone & Sex. Põpeio testibus, fuerit nominatus. Sunt qui & Dioscorum eum uocatum fuisse annotant. Athenienses* ἑκατομβαιῶνα *ab Hecatombis sacris centenarijs dixere: Macedones* δαίσιον *siue* δέσιον, *utraq; enim lectio reperitur, autoritate Suidæ & Plutarchi in Aristide; Idem tamen in uita Alexandri* λῶον *Macedonum lingua uocari, quem reliqui* ἑκατομβαιῶνα *nominent, autor est: cui astipulantur & Iosephus & Galenus cõmentarijs in Epidemia, utpote cuius initio solstitium æstiuum attribuat. Plutarchus alibi* κρόνιον *quoq; dictum eũdem refert. Bœoti* ἱπποδρόμιον *nuncupãt eodem teste in Camillo. Aegyptij* παῦνὶ *Payni: Cyprij* ἰούνιον *merè Romana*

uoce dicebant: Syriaca lingua Thamus appellaba-tur ab Adonide Veneris amasio, quem eo nomine cõpellabant, hoc mense extincto, uti proditum est ab Hieronymo, quanquam ille pro Iulio eum inter-pretatur, quod ideo fit, quod ab Aprili initium anni Iudæorum metiatur. Germani Brachmanum à re-pastinando: Belgæ Zweydmanũ quasi Pascualem nuncupant. Hoc mense Soli circa solstitium uersan ti magnificè sacrificabant Athenienses: propterea Soli sacrum facit Iunium Plutarchus, quem alij tu-telæ Mercurij subijciunt.

IVLIVS à natali Iulij Cæsaris, legem ferẽte M. Antonio, nomen est adeptus, antea Quintilis: μεταγειτνιὼν à Metagitnijs Apollinis sacris (ut autor est Harpocration) dictus ab Atheniensibus, κάρνιος Syracusanis, ut à Plutarcho in Nicia pro ditum est, quem falso Maium uertit Guarinus. Cy-prij à Cæsare καισάριον: Bœoti πάνεμον sua lingua uocabant testimonio Suidæ & Plutarchi in Camillo: Aegyptij ἐπιφὶ, secundum Theonem & Arrianum: apud Germanos & Belgas à fœno, quod tunc succisum cõuchitur in stabula, nomẽ ha bet: Hebraico idiomate Ab uocatur. Huic mensi pri mam sementem dicatam autor est Theophrastus. Olim sub Iouis tutela fuit habitus.

August.

AVGVSTVM, prius Sextilem, suo nomine donari uoluit Augustus Cæsar, quod eo primum Cõsulatum infra legitimam ætatem obtinuerit, & plureis insignes uictorias, autor Dion Coccejus. βοηδρομιῶνα Attica nominauit à Boëdromijs festo in gratiam Ionis Xuthi filij instituto, qui (ut à Philochoro in literas relatum est) Atheniensibus ab Eumolpo Neptuni filio, prælio superatis opem tulerat. Epiphanius libro contra Hæreses primo γορπιαῖον à Macedonibus dici Augustum scribit. Cyprij σεβαστὸν uoce Augustum sonãte nuncuparũt: Aegyptij μεσορὶ: Chaldæi Elul, nõ Eyul, ut in Alphonsi tabulis perperam legitur, uti pleraq; omnia mensium nomina, apud illum corrupta sunt, quæ ex his annotationibus nostris integritatẽ suæ commodè restitui poterunt. Germani pariter & Belgæ Oogstmanũ, ceu ὀπώρινον, & pomorũ productorem simul & meßis, appellitant. Sub tutela Cereris olim est habitus: apud Aegyptios Harpocrati silentij præsidi deo sacer erat, testante hoc Plutarcho libro de Iside & Osyride.

SEPTEMBER à septima, quã obtinet, classe post Martiũ, dictus: ab Atticis μαιμακτηριὼν, ἀπὸ τοῦ μαιμάκτου διὸς, à turbido & impetuoso Ioue, utpote hyemis initio turbulẽtiore reddito

aëre, ut inquit Harpocration. Galenus λόχον dici Macedonia testatur. Sunt qui eidem genti γορπιαῖον dictum, pro Septembri malunt accipere, quàm pro Augusto, quem & Suidas γορδιαῖον. Bœotij ἀλαλκομένιον teste Plutarcho in Aristide: Cyprij αὐτοκρατορικὸν uelut Imperatoriũ: Pergameni ὑπερβερεταῖον autore Galeno, cui

Cap.10. *& Iosephus subscribit libro tertio, quẽ tamẽ Octobrẽ exponit Suidas: Aegyptij θὼθ à Thonc quodã cognominatũ, medicæ artis primo apud eos repertore, ut uolunt, Iidem & Χοὶ: Δῖον quoq; intelligere uidetur eũdem Galenus, ut cuius initio autumnale æquinoctium statuat: sed hic in Octobrem decurrit pòtius ex Iosephi sententia. Chaldæi Tisri dixerunt: Germani Autumnalem mensem: Belgæ ab hordeo Gerstmanũ, alij Speltmanũ à collectiõe zeæ, quod frumenti genus patria lingua Speltam nominant: Refertur ad tutelam Vulcani.*

OCTOBER *ab ordine, ut reliqui, πυανεψιὼν Athenienſibus dictus, quod πύανα, id est, fabas, siue πυάμους quasi κυάμους in Apollinis festo à Thosco instituto, ut annotat Eustathius, decoquerent. Cyprij δημαρχεξάγιον quasi Tribunitium nominarunt: Bœotij δαμάτριον: Aegyptij φαωφὶ seu, ut apud Theonem & Nicolaum myrothecij*

rothecij autorē legitur φαωφὶ. Hebræi uoce Chaldaica Marhesuan, apud Iosephum μαρσουάνη: nam uetusta Hebræorum lingua hic mēsis octauus ordine Bul appellatur in libris Regum, ab imbriū copia, quasi diluuium מבול. Germani Vindemialem mensem nomināt. Sunt qui & Hyperboreum fuisse dictum hunc mensem adnotant: quem etiam cum sequēti φυλλοχόυς à foliorum defluuio Græci nuncupant, quod frondium honore tunc spolientur arbores, effœta iam terra, alimento destitutæ: Germanis Vindemiator mensis nūcupatur: Belgis Braecmanus, à confringendis canabeis liniq; stipulis. Tutelæ Martis adscribitur.

NOVEMBER Atticè ἀνθεστηριών, quod tū uersicolore florum pigmēto nudetur terra: utcunque Philostratus sophista causam nominis referat ad ritum coronādi pueros triennes sertis floreis: eundem προστατήριον uelut untiatorem & auspicem nominatum ostēdit Plutarchus, quod relinere serias mustumq; delibare consueuerint. Aegyptijs ἀθὺρ: Chaldæis Kisleu: Cyprijs πληθύπατ⊙ siue πληθύτατ⊙: Germanis propriè hyemalis mensis: Belgis Slachtmanus à solenni iugulatione pecorum, quorum carnes, annui penus gratia, partim muria cōditas, partim fumo duratas toto penè

anno asseruant. Hunc *Baccho consecrat* Harpocra*tion:* Latini *tutelæ Dianæ attribuunt.*

DECEMBER, *quem & Genialem mensem, à comessationis studio appellãt quidam,* ποσειδεὼν *quasi* Neptunius, *à* Palladis *&* Neptuni *certamine,* Atticis *nominatur.* Macedonũ *lingua* Ἀπελλαῖος *teste* Suida, *&* καθ' ἑαυτὸν πέρας *uelut sui finis, ab eadem gente nũcupatur, autoritate* Galeni. Cyprijs ἀρχιερεὺς: Aegyptijs χοιὰκ *uel* χοιάχ *dicitur:* Chaldæis Tebeth: Germani Luparium *mensem, & à* Christi *natali* Christmanum *appellitãt.* Ad Vestæ *numen huius tutela refertur:* Macrobius *tamen* Saturno *sacrum facit.* Porrò *haud alienum à proposito* καὶ ἀπροσδιόνυσον *facturus mihi uideor, si hoc in loco simulachra cuiusq; mẽsis adijciam:* Itaq; Ianuarium *imagine* Helluonis *& scyphum plenum manu tenentis depinxere antiquiores:* Februarium *senis foculo aßidentis:* Martium *frondatoris aut hortulani:* Aprilem *effigie hominis florum pastillum præferẽtis:* Maium *adolescentis equitis auem gestantis:* Iunium *specie agricolæ fœnisecæ:* Iuliũ *habitu messoris cum falce districta:* Augustum *specie nudantis terram frugibus, cum quadriga & uanno:* Septembrẽ *Vindemiatoris:* Octobrem *seminantis in formam effigiabant:*

giabant: Nouembrē *instar rustici decutientis glandes in pastum suibus:* Decembrem *denique in modum lanij iugulantis porcellum.* Hactenus *de mensium nomenclatura: nunc corollarij uice menses* Aegyptiorum *&* Romanorum *ordine descriptos ex* Epigrāmatum Græcorum *collectaneis, & à me carmine redditos, subijciam, deinde reliquum instituti operis persecuturus.*

Menses Aegyptiorum à Septembri incipientes ex Epigr. Spicilegio.

Πρῶτος Θὼθ ἐλάαν δρεπάνην ἐπὶ βότρυν ἐγείρειν.
Ἰχθυβόλοισι Φαωφὶ φέρει πανδήμιον ἄγρην:
Πληϊάδων φαίνουσαν Ἀθὺρ τεκμαίρεται ὥρην.
Χοιὰκ σπειρομένων σταχύων δείκνυσι γενέθλην.
Τυβὶ δὲ πορφύρεον βουληφόρον εἷμα τιταίνει.
Σημαίνει πλωτῆρσι Μεχὲρ πλόον ἀμφιπολεύειν.
Ἄρεος ὅπλα φέρειν Φαμενὼθ δείκνυσι μαχηταῖς.
Εἰαρινῶν Φαρμουθὶ ῥόδων πρωτάγγελός ἐστι.

Λήϊα δ' ἀνανθέντα παχὼν δρεπάνοισι φυ-
λάσσει.
Εὐκάρπου δ' ὁ παῢνὶ προάγγελός ἐστιν ὀπώρης.
Καὶ σταφυλὴν κατέχων ἐνάμπελος ἐστιν
ἐπηφί.
Καὶ μεσορὶ νείλοιο φέρει φυσίζοον ὕδωρ.
Thot primus docuit defringere falce racemos.
Piscatori ingens cedit captura Phaothi.
Pleiadas Oceano surgentes indicat Athyr.
Læta satæ segetis Chœac primordia pandit.
Dat Tybi Consulibus tinctas è murice uestes.
Cũcta Mechir reserat securis cœrula nautis. (les:
Martia te Phamenoth monet arma capessere mi=
Vernantes Pharmuthi rosas prænuncius refert.
Arida fruge Pachon asseruat falcibus arua.
Vbere prouentu promittit poma Payni
Inde uuæ læto turgent in palmite Epephi.
Fœcundo Mesori Nili latice irrigat agros.

Menses Romanorum.

Ἐξ ἐμέθεν λυκάβαντος ὑπ' ἠελίοιο θύρετρα,
Αὐσονίοις ὕψος δέρκεται ἠέλιος.
Αὐτὰρ ἐγὼ θαμινοῖς γαῖαν νιφάδεσσι διαί-
Τεύχων εἰαρινῆς ἔγκυον ἀγλαΐης. (νω,
Ἄρχετ' ἄρης ἀπ' ἐμοῖο καὶ ἄνθεα καὶ γλάγος
Ἴσον δ' ἐκ σῶ ἦμαρ νὺξ τελέθει. (ἤδη.

Ἐντύνοι

Ἐντύνοι τῆμος δὲ φυτοσκάφος ἔρνεα τάμ-
Ῥίζῃ ἐπ' ἀκροτάτῃ ἤμβροτον ἀκρέμονα. (νωμ,
Οἰνεῖται ἄρτι θάλασσα, ἐφοπλίζοιτε δὲ νῆας,
Ὥριον ἀκλύστων ἐκτὸς ἄγειν λιμένων.
Μεσσάτιος ῥόδου εἰμὶ καὶ ἀργεννοῖο κρίνοιο,
Καὶ ξανθῆς κεράσου βρίθομαι ἀκρέμοσιν.
Κάρκινον ἠέλιος μεταναίσσεται, ἀστάχυας δὲ
Καρφαλέους κείρει γειοπόνος δρεπάνῃ.
Κρίνω ἐγὼ πυρὸν καὶ ἀχυρμιάς, ἐν δὲ λέοντι
Ἀβρεκέα τελέθει χεύματα Νειλιάδων. (ρη,
Βρίθω ἐγὼ σταφυλῇ, βρίθω δ' ἐπὶ πάσῃ ὀπώ-
Αὖθις δ' ἰσοπαλὴς γίγνεται ἦμαρ τε νύξ. (νῶ
Τίς ἦ κ' ἐμεῖο πέλει γλυκερώτερος, ὃς μέθυ λη
Ἡδὺ ἐπικατάγω, Βάκχον ἀπ' οἰνοπέδου.
Εἴ τοι Ἀθηναίης πέλει ἔρνεα, ὥριον ἤδη (κωμ.
Καρπὸν ἀποθλίβειν, μνῆστιν ἔχειν καμά-
Παύσασθαι νῦν κέλομαι, γλαγόωντι γὰρ ἤδη
Σπέρματι ῥιγεδανὴ πηγυλὶς ἀντιάσει.

A me Vertentis pandunt sese ostia Phœbi,
Auspicium anni sol uidet Ausonijs.
Humecto nimium tellurem aspergine crebra,
Fœcundam uerno nempe nitore parans.
Incipiunt à me Mars, flores, copia lactis:
Par luci spatium noxq; uicena trahit.

Iam frondatori sectus radicibus altis,
Cultiui ingenij surculus inseritur.
Iamq; patet pelagus, naues deducite, tutos
Intra stat portus non bene clausa ratis.
Me rosa purpurea, & candentia lilia stipant:
Et flauæ cerasi brachia fœta tument.
Carcini adit Chelas Titan, & falce recurua
Arentes spicas demetit agricola.
Frumentum incerno & paleas: torrente Leone
Niliades fundunt ampla fluenta deæ.
Fundo ferax uuas, pomorum & nomina mille,
Par noctem atq; almum diuidit hora diem.
Dulcior an me extat quisquã? cui uinea Bacchum
Funditat, inq; lacum mustea uina cadunt.
Si tibi Palladia est arbos, res poscit oliuum
Exprimere: & memorem te ante parare sudes.
Cesset humus moneo, lactescens semen in aruis
Atroci premitur dum Cereale gelu.

In eosdem.

Μὴν ὑπάτων πρῶτος, ὁ δὲ δεύτερος αὔλακα κατέμνε,
ὁ τρίτος αὐσονίων γενεὴν τῶν μῶλον ἐγείρει.
Τέτρατος ἀγγέλλει ῥοδοδακτύλου εἴαρος ἄρχην.
Εἰμὶ ῥόδων γενέτης, καὶ ἐγὼ κρίνα λευκὰ κομίζω,

Οὗτος

ὅυτος ἀμαλοδέτης, τὰ δ᾽ ἐμὰ πτερὰ νεῖ-
λον ἐγείρει.
ὅυτος ἀρισταφύλῳ πεφιλημένος ἔπλετο
Βάκχῳ (τοῖσι.
Τεύχω δ᾽ οἶνον ἐγὼ μελιηδέα χάρμα βρο-
Δαῖτα φέρω χαρίεσσαν ἐς οὔνομα φωτὸς ἑκάστου.
φορμίζειν διδάηκα καὶ ὑπνώοντας ἐγείρειν.

Latinè ita.

Consulibus primus mensis sacer: alter aratro
Sulcat humum: Ausonios ad prælia tertius armat:
Nunciat hinc quartus ueris florentis honorem:
Gigno rosas quintus, candentia lilia sextus:
Fasce ligat messem hic: Nostris Nili alueus alis
Aestuat: uuifero nonus sacratus Iaccho:
Vina parat decimus solamina dulcia mentis:
Euocat undecimus constrata ad fercula amicos:
Bissextus citharam somniq; obliuia profert.

De Calendis, Nonis, & Idibus, deq; dierum delectu,

Cap. V.

Calendas à calando, hoc est, uocando, quod tunc senatus conuocaretur, dictas scribunt: at Plutarchus ut erat malè Latinus, à clam deriuationis ductu putat dici, quod luna propter coitum

lateat quodãmodo lumine defecta: sic Nonas quod ueluti nona fiat in occiduo orbe conspicua: at Idus, quũ pleno iam orbe spectabilis est, ἀπὸ τοῦ ἰδέσθαι: sed dandum est istud imperitiæ linguæ. Alij Nonas dictas autumãt, quod ex eo die nouem numerentur dies ad Idus usq;: Idus uerò deriuant ab Iduli Hetrusca uoce, qua ouis significabatur, quæ à Flamine Ioui Idibus mactari solebat: Macrobius ab Iduando, hoc est, diuidendo, quod is dies mensem dirimeret: quo allusisse uidetur Horatius Idus appellans diem qui findit mensem, & Dionysius Halicarnaßeus exponit Idus διχομηνίδα ἡμέραν, hoc est, dissectorem mensis diem, & quasi semestrem. Calendæ omnes & Nonæ, nec non Idus religiosi habebantur dies contrahendo matrimonio, si Macrobio credimus: quin & postriduani Calẽd. Non. & Iduum, alieni nuptijs credebantur, & atri Pontificum decretis iudicati, ut qui neq; præliares, neque puri, neq; comitiales esse poterant, quibus ferme Romana res detrimentũ acceperat: addit quoque Plutarchus postriduanis istis iter ingredi detrectasse Romanos: sic Augustum Cæsarem legimus feriæ rei nihil inchoare noluisse Nonis, ut ominosis: Tacitus item Imper. nullam intermisisse noctẽ, qua non aliquid uel scriberet uel legeret, præ-

terquam

terquam postridie Calendarum à Flauio Vopisco cõmemoratur. Calẽdas autem omnes Iunoni, Idus Ioui sacras habuere Romani, quod in Fastis non tacuit Ouidius, quum inquit,

Vendicat Ausonias Iunonis cura Calendas, "
Idibus alba Ioui grandior agna cadit. "

Idus uocat Ausonius almam diem, & genijs deorũ cultam, siquidẽ Augusti Idibus Dianam, Maij Mercurium in lucem editos constet. Ita Græci Calẽdis cuiuslibet mensis (sic enim primum diem cum venia nomino, ne fidem meis dictis deroget Græca parœmia) deos uenerari consueuisse, postridie Semideos Indigetes & Heroës leguntur: Apud Lacedæmonios Calendis omnibus, uini sextarius, ac farinæ modius, nec non singula pecora Regibus ad sacrificium quod Apollini fiebat, dabantur. Pindari scholiastes in Nemeis ait Calendas Apollini esse consecratas, quod is deus idem sit cum Sole. Calendis nomina persoluebãt debitores usurarijs, testantibus Flacco & Aristophane in Pluto Comœdia. Neq; prætereundũ silentio est, quod præcipuæ feriæ Idibus fuerint dicatæ fermè. Iam uerò quod apud curiosam plus nimio superstitiosamq; uetustatem in statis diebus plurimum religiõis posuerint, non est transmittendum: nam secũdus mensis dies,

Fausto

Fausto genio sacer (quod & in craterum numero obseruatum fuit) ἀγαθοῦ δαίμονος dicebatur: Pausanias tertium quemq; mensis diem Mineruæ consecrat: quartus Mercurio dicatus erat, ut annotant Lexica, non modò quoniam quaternarius numerus illi Deo, utpote τετραγώνου præsidi, sit sacer habitus, quod testatur Capella, uerumetiam quod quarto mensis die in lucem fuerit editus, ut
Lib. 9. in Symposiacis refert Plutarchus. Eundem diem Pana quoq; nominatum antiquitus scribit Politianus, fortaßis à naturæ è quatuor elementis conformatæ imagine, quam Pan exprimit apud Theologos. Quintus dies ominosus habetur Maroni, ut quo Orcum, Eumenidas, Gigãtesq; satos prædicat. Rursus septimus Phœbo erat sacer, quod in opere rustico exequitur Hesiodus,

» Αἳ δ᾽ γὰρ ἡμέραι εἰσὶ διὸς πὰρ μητιόεντος,
» Πρῶτον ἔνη τετράς τε καὶ ἑβδόμας ἱερὸν ἦμαρ.

nam eo die è Latona genitum Apollinem, hoc est, è Chao extitisse Solem fabulatur, unde et ἑβδομαγενῆ, quasi septimanigenam Flamines cum uocarunt Plutarchi testimonio: alioqui diem septimum sacrum antiquißimi quiq; semper habuere, ut quo uniuersa rerũ facies fuerit absoluta, quod & Homerus & Orpheus non ignorarunt. Præterea o-

ctauum

ctauum quemq; mensis diem Theseo sacrum apud Athenienses fuisse lectum est, quanquam Neptuni celebritati eum dedicet Plutarchus in Theseo. Nonum diem, quem fugæ meliorem & furtis contrarium existimauit Virgilius, Soli sacrum facit Halicarnasseus Dionysius, uti decimumquintũ Mineruæ, in quo absolutus sit circulus. Pythagoræi decimumseptimum ἀντίφραξιν, quasi diremptorium diem nominabant, prorsus cõsecrato eo numero, ut è Plutarcho constat, quem & Maro fœlicẽ pangendis uitibus cecinit. Epicuræi εἰκάδας, hoc est, uicesimum quemq; mensis diem sacrum ducebant, quod is Epicuri natalis fuerit: alioqui Apollini sacrum eundem agebãt Athenienses, si Pompeio Etymologici autori fides habenda est, unde & ἱερὰ εἰκὰς dicebatur. Contrà uicesimam primam cuiuslibet mensis funestam & atram habebant Chalcedonij, quod ea Darij præfectus liberos ipsorum castrarit, & in Persidem ablegarit. Plethon quoq; alterum diem qui finem mensis præcedit, Plutoni sacrum perhibet incerta ratione. Quin & κράνειον mensem integrum, solennem & feriatum agebant olim Spartani, eoq; à prælijs supersedebant, ut apud Thucydidem legitur: Sic mense δαισίῳ, quem Iunium exponit Suidas, ominosum putabant

Macedones,

Macedones, educere exercitum, ut tradit Plutarchus. Philochorus δημηβιῶνα mēsem integrum senatusconsulto feriatum esse Atheniensibus autor est, ac propterea ἱερομηνίαν dici, οἷον ὅλον ἑορτὴν. Neq; illud omiserim, ter in mense Athenis cōciones & cōuentus haberi consueuisse, de reipub. statu cōsilijs ineundis, ni belli necessitas aliud suasisset: prima autem coitio fiebat undecimo mensis die, secunda uicesimo, tricesimo tertia, ut est ab Vlpiano in Demosthenem annotatum. Hebræi tricesimam cuiuslibet mensis ut & primam, celebrabant ad memoriam gubernationis diuinæ. Porrò dies ut nonnulli auspicati, ita è diuerso ualetudini inimici atq; lætales habiti fuere, quos cuilibet mēsi binos stolidi homines aßignarunt, uulgus Aegyptiacos à gentis uanitate nominat: Sūt & ominosi & atri nefastiq; dies quibus iura silebant, & clades damnaq; Reipub. aduenerant, ἀποφράδας uelut infandos Græci nuncuparunt & ἐπιζηκάδας, cuiusmodi fuit bissextus Februarij Reipub. Romanæ sæpe infaustus, cuius ominosum auspicium uitans Imper. Valētinianus iam electus in publicū prodire noluit, teste Ammiano: qui tamē Diuo Carolo V. auspicatißimus dies natalis & triumphalis illuxit: Proinde in Phormione rectè Comicus ridet super-

Lib. 26.

stitiosos

stitiosos quosdam, qui ante brumam diebus decrescentibus nihil noui negotij aggredi audebant: ac propterea non mirum est, si laudetur Heraclitus, *quod* Hesiodũ *suggillauerit bonos et malos quosdã dies constituentem, uelut qui ignorarit cuiuslibet diei unam esse naturã, ac disceptat* Plutarchus *statuendi ne sint aliqui dies atri, an non: certæ uanitatem superstitionemq; creduli uulgi ridens* Lucullus, *non minus felici euentu, quã recto iudicio, perculsos diei ominosi fortuna milites, ad insignem uictoriam animauit, ut ex atro album facerent fortiter pugnando admonens: Idem dies* Crassum *cum exercitu à* Parthis *deletum nouit, &* Pacorũ Parthiæ *regem* Ventidio *captiuum dedit:* Attalo *regi,* Magnoq; Pompeio *idem dies necem attulit, qui natalis fuerat: & nobilißimo* Principi Friderico II. *idem funebris fuit dies, qui imperiũ obtulerat.* Cæterum *apud* Siculos *reliquosq;* Græcos, *dies fuerũt exẽptiles, siue ἐξαιρέσιμοι dicti, quos teste* Cicerone *in* Verrinis *deducebant è mense, si quid discreparet.* Actiõe 4.

De ordine & ratione dierum hebdomadæ ex Dione, Cap. VI.



QVid maiores nostros impulerit, ut hæc nomina diebus imponerẽt, quæ usu perpetuo

uelut per manus accepta adhuc obseruamus, controuersum uideri poterat, nisi Plinius locupletissimus naturalis historiæ scriptor breuius idem & obscurius indicasset, dicens primis horis singulorum ordine dierum, cuiuslibet planetæ imperium assignari, iuxta orbium cœlestium uolutationem et εὐταξίαν. *Huius rei duplicem rationem adfert luculentissimè Dion historiarũ quadragesimo septimo libro, ex adytis Aegyptiorum (quos* δυσμεταδότους *appellat ideo Strabo, quod difficulter adduci possent, ut suam disciplinam alijs impertirent) depromptam, quarũ una est Harmoniæ Musicæ, quam* διατεσσάρων *nominant, qua cõtineri musica ratio planetarum hunc mundi ornatum uariantium creditur, eo ordine quo suum quisq; cursum obit: eam quaterniones ordine singuli in orbẽ numero collecti constituunt, dum scilicet quartus à primo planeta ut cœli cursum absoluunt in caput semper redigitur, hoc nimirũ pacto. Statuitur primo loco Saturnus (cuius nomine designatur sabbati dies, quem uetusta Hebræorũ gens religionis necessitate sacrosanctum habet) quamuis extremi sphærarum orbis præses: ab eo transmissis duobus intermedijs ad quartum inde planeten, qui tetradis præses nominatur, desilitur, qui sol est: ab hoc*

rursus

rursus transcurso pari interuallo, ad Lunam, quæ septimo loco est & infimo: à Luna ad Martem qui solare circulum uicinia superat, regredimur: hic in Mercurium supra lunare iubar proximum reijcit se: is ad Iouem nuncius & interpres deûm habitus commigrat: ille ad Venerē: hæc rursus ad Saturnum recurrit. Hunc ductum sequitur dierū hebdomadæ cursus. Altera ratio petitur ab horarum numero in digitos collecto, sicut exēpli gratia, prima Saturno, sequēs Ioui, tertia Marti, quarta Soli, quinta Veneri, sexta Mercurio, septima Lunæ tribuatur: ea orbium cœlestium serie sic decursa, quæ ab Aegyptijs prodita est, iteratò idem si factites, transmißis uiginti quatuor horis, uicesimam quintam, quæ alterius diei exordium est, à sole auspicari uidebis: id eadem ratione si repetas, sumēdo planetæ nomen cui præsens dies dicatus est, ac seriem orbium prædictam persequendo, dum ad initialem proximi diei horam fuerit peruentum, eam reipsa comperies illius diei cognomini planetæ propriā. Porrò seriem orbium cœlestium quò melius teneatur memoria, ita uersiculis olim complexus sum.

Errant contigui septeno hîc orbe planetæ, "
Falce metens annos curua deus, inde hominum rex "
Iuppiter omnipotens, Geticus cui terga Gradiuus "

" Claudit, at hunc sequitur radianti Phœbus in axe,
" Proxima tēpla tenet soboli Venus æqua creandæ,
" Hinc diuûm interpres rapitur Cyllenius ales,
" Vltima uicino tellurem sidere Lustrat
" Veliuoli pelagi rectrix argentea Phœbe.

De diei initio, deq̧ horis quædam scitu non indigna, Cap. VII.

Lib.2. de nat. deorum.

QVoniam diei noctisq; uicißitudo animantes conseruat, ut elegāter à Cicerone repetitum est, tribuens aliud agendi tēpus, aliud quiescendi, & quia per dies annum metimur, placuit de die adijcere nonnulla, inde ad horas, uelut partes similares anni, descensurus gradatim. Eum faciunt aut naturalem, aut ciuilem & artificialem, hunc quidem ab oriente sole ad occidentem usq; intermedio tempore definiunt, illum uerò non nisi uiginti quatuor horarum curriculo absoluunt, qui tamen pro diuersarum nationum opinione uariat, ac ferè quadrifariam, Babylonijs eum metiētibus ab uno ortu ad alterum usq;: Atheniensibus & Hebræis ab occasu solis usq; ad alterum, siue à uespera ad uesperam, quomodo etiamnum omnis Italia primam ab occiduo sole horam numerare incipit.

Plin.lib. 2.ca.77.

Rursus

Rurſus Aegyptijs, Hipparcho, & Romanorum flaminibus à media nocte diei initium auſpicantibus, & proxima media nocte diem claudentibus, uelut apud Aul. Gelliũ M. Varro de natalibus hominum iudicat. Nam Vmbri à meridie ad meridiem circũ ſcribentes diei circulum, à Varrone latæ culpæ damnantur. Porrò diei uocabulum Hebræi interdum pro anno etiam integro uſurpant ſylleptice, quod annus ueluti dierum orbis ſit atq; circulus. Mercurius Triſmegiſtus diem in duodecim horas diſtingui oportere exiſtimauit, quum obſeruaſſet in Aegypto Cynocephalum Serapidi ſacrum animal duodecies per æqualia temporis interualla lotiũ reddere in diu æquinoctiali, totidemq; ululibus & noctu: neq; hoc modo, ſed & duodecies clangorẽ æ dere iſtud animal ſcribit Orus. Dimenſionẽ autem diei in duodecim partes laudat Galenus, libello de cuiusq; animi peccatorum cognitione & medela, cenſens duodenarium numerum eſſe ſymmetrum, omniumq; utiliſſimum, ut qui contineat dimidiũ & duplum & quartum & ſextum & duodecimum, quæ nullus alius numerus poſt ipſum uſq; ad uiceſimum quartum continere uidetur. Horæ fuerunt uel καιρικαὶ & temporariæ, uel ἰσημερινὰι & æquinoctiales quæ paribus ſpatijs cõmenſurabantur: Romani

Ammian. lib. 26.

tur: Romani *in temporarias duodecim horas diem partiebantur, unde solstitiales horas extulit* Vitruuius*,ut æstinas* Martialis *pro maximis & longißimis: & brumales idem* Vitruuius *pro minimis dixit & breuißimis, quas* Plautus Hybernas. *At enim uero incerta & indiscreta horarum interualla habuerũt* Romani *ad* Scipiõis *usq;* Nasicæ *tẽpora, qui clepsydris institutis spatia horarũ primus est partitus: nam horologia non nisi serenis diebus gnomonis indicio horas discriminabant, unde &* Sola*ria* Latinis *dicta, ut ab umbræ eiaculatione* σκιωτόριϰὰ Græcis*: quorum inuentionis laus* Anaximeni Milesio Lacedæmone *ea dedicanti, tribuitur*

Lib. 2. capite 76. à Plinio, *Græcos uerò ad umbræ dimensionem sopitos ad cœnam coire obseruatum est. Vnde illud*
„ Luciani *in Gallo*, συνεχὲς ἐπισκοπῶν ὁπόσαπουν τὸ σοιχεῖον εἴη, *id est, aßiduè inspectãs quot pedum foret linea: & in* Saturnalibus *inter leges*
„ *conuiuales extat*, λοῦεσθαι μὲν ὁπόταν τὸ σοι-
„ χεῖον ἑξάπουν ᾖ, *balneum ingredi quum iam in sex pedum mensuram protenditur linea: & apud* Ari-
„ stophanem Concionatricibus, σοὶ δὲ μελήσει
„ ὅταν ᾖ δεκάπουν τὸ σοιχεῖον λιπαρῶς χωρεῖν
„ ἐπὶ δεῖπνον, *hoc est, Curæ tibi erit decẽpede iam protento gnomone, unctum proficisci ad cœnam:*

sic δωδεκάποδος alibi ellipticè, ut subaudiatur στοιχείου, uel σκιᾶς. Obseruatū est illud quoque, Romanos diuidere consueuisse suas operas in uarias horas, nam primam atq; secundam salutationibus potentiorum occupabant: tertiam causis agendis iudicijsq; impendebant: quartam quintamq; familiaribus negotijs & domesticis curis dabant: sexta & septima otio & meridiationi dabantur, octaua lauabant & in palæstris uersabantur: nona cœnam sumebant, quod luculenter expreßit Martialis lib. 4. his uersibus.

Prima salutantes atq; altera continet hora, ››
Exercet raucos tertia causidicos. ››
In quintam uarios extendit Roma labores, ››
Sexta quies laßis, septima finis erit. ››
Sufficit in nonam nitidis octaua palæstris, ››
Imperat extructos frangere nona toros. ››

Hæc de anno & mensibus & quæ eò spectant, satis superq; multa, nunc Fastos aggrediamur, opus si quod aliud implexum in tanta autorum discordia, tum etiam insatiabile, atq; inexpletum, si quis cuncta complecti uelit.

Faſtorū liber, ſiue

Hemerologion rerum me-morabilium.

Dies		IANVARIVS. Dies 31.
A.	KL	Frondes lauri nouis magiſtratibus dabantur apud Romanos. Conſtant. autor γεωπονικῶν. Stipes fœlici auſpicij loco erogaban tur. Dulciaria donabātur. Ouid. Comitia celebrab. Marius Cos. magna gloria de Iugurtha triumphauit. Saluſt. L. Aelius Verus ab Hadriano Imp. Cæſar adoptatus, potione medicata periȷ̈t. Spartianus. Ludouicus XII. Francorū rex moritur. Paul. Iouius.
B.	4.	Dies Compitalitius. Natalis M. Tullij Ciceronis, teſte Gelio.
C.	3.	Votorum nuncupatio, teſte Caio Iureconſulto, quibus Conſules & Flamines pro ſalute & incolumitate Principis ſolēne obibant iuſiurandum, Neronem Druſumq; dijs commendantes:

Dies mendantes: Tacitus tamē istud ipsum Calendis factitatum sentire uidetur. Ludi.

4. Pridie

5. Nonæ Apud Andrum insulam Liberi patris fons uini saporem habebat per quinas horas. Solinus.

Cibyres Cariæ & Gerasa Arabiæ fontes uinum profundunt miraculosè. Epiphanius.

Aquam in uinum commutauit Canæ Christus. Epiphan.

6. 8. Christus Iordanis lauacro tinctus baptismum sancit.

Augustus Cæs. triplici triumpho urbē inuectus, Ianum clausit.

7. 7. Iano patri sacrum. Isidis profectio. Plutarch.

8. 6.

9. 5. Agonalia Iani sacra. Blondus.

10. 4. Honorius Augustus creatur.

11. 3. Carmentalia. Iuturnæ ædes in campo Martio dicata. Carolus III. cognomento Crassus Imper. priuatus obijt.

12. Pridie Compitalia. Gell. & Macrob.
Maximilianus Imper. fato functus. Cuspin.

13. Idus Iouistatori sacrum.
Tibicines festum diem agunt, multa lasciuia ac licẽtia muliebri habitu per urbem grassantes. Plutarch.
Octauius Augustus appellatus.
Fridericus Imper. cognomento Pulcher moritur. Cuspin.

14. 19.

15. 18. Carmentalia à matribus familias celebrab.
Sergius Galba Imper. interficitur. Tacitus.

16. 17 Porrima & Postuenta futurorũ praenunciae deae placabantur. Ouid.
Theodosius à Gratiano Imperij collega ascitus.
Arcadius à Theodosio patre Augustus designatur.

17. 16. Ludi Palatini incipiebãt & in septem dies durabant. Concordiae aedes à Furio Camillo uota & extructa.
Theodosius Imp. Mediolani decessit.

18. 15

19. 14

20. 13 *Natalis Gordiani Imper.*

21. 12

22. 11

23. 10 *Otho III. Imper. ex ueneni poculo diem obijt.*

24. 9 *Ceres & Tellus placabâtur.* Ouid.
Sementinæ feriæ. Ouid. Var.
Caligula interficitur. Sueton.
Natalis Aelij Hadriani. Spartian.

25. 8

26. 7 *Castori & Polluci templum dicatum.*
Henricus VIII. Angliæ rex fatis cõcessit. Paul. Iouius.

27. 6

28. 5 *Carolus cognomento Magnus Imper. decessit.*

29. 4 *Creatio regum.* Eduuardus III. *Angliæ rex creatur.*

30. 3 *Pacis celebritas.* Ouid.

31. Prid. *Clodium ab Aricia reducem Milonia-ni exturbata taberna in qua latebat, interemerunt.* Asconius Pædianus.
Dijs penatibus sacrum.

Februarius

Dies		FEBRVARIVS. Dies 28.
1.	KL.	*Februa incipiebant pro defunctorum manibus, testibus* Sext. Pom. *Plutar.* in *Numa.* Ouid.
		In *Capitolio & Iouis sacrario ouis cædebatur.* Ouid.
		Sospitæ ædes posita proximè matris deorum. Ouid.
		Asylum frequentabatur. Ouid. *Natalis* Herculis.
		Lucaria *ab Asylo luco.* Festus Pomp.
		L. *Aemilius* Regillus *deuicto* Antiochi *regis claßis præfecto triumphum naualem egit.* Liuius.
2.	4	
3.	3	*Aurelius* Probus *in æde Cõcordiæ frequenti senatu* Imp. *creatus.* Vopiscus.
		Templum Hierosolymitanum *perfectum.* Esdræ *cap.6.*
4.	Prid.	Ludi Gothici *per dies sex celebraban.*
5.	Nonæ	*Augustus Pater Patriæ omnium ordinum consensu dictus.* Ouid.
6.	8	
7.	7	*Moses è uita exceßit septimo die* Adar, *teste* Abrahamo Leuita: Iosephus lib.

Dies libro 4. eiusdem mensis νουμηνίᾳ defunctum ait.

8. 6

9. 5

10. 4 Veris initium hic statuit Ouid.

11. 3 Ludi geniales per triduum.

12. Pridie

13. Idus Fabij trecenti interempti. Ouid. Plutar. tamen in Camillo cædem Fabiorum, & cladem Alliensem refert ad solstitium æstiuum.

Virgo Vesta parentabatur.

In insula Tyberina Fauno sacrificabatur. Ouid.

Ibidem Ioui positum templum.

Dies celebris apud Iudæos ob fusum Nicanoris exercitum. 2. Machab. cap. 15. Ieiunium Hester.

14. 16 Dies Mardochiacus appellatur lib. 2. Machab. Hoc die & sequenti memoria agebatur sortium in urnas cōiectarum tempore Hester & Mardochæi: indulgebantq; genio, ut in Saturnalibus nostri homines.

Induciæ & fœdera inter Athenienses & Lace-

Dies & Lacedæmonios sociosq; de bello sacro pacta. Thucydid.4.

15. 15 Lupercalia, feriæ quibus Iunoni februatæ sacra fiebant, festum expiationi simile. Plutar. Ouid.

16. 14

17. 13 Iouinianus Iuliani Imp. successor extinctus. Eutropius.

Parentalia anniuersaria. Ouid.

Curiæ signabantur. Ouid.

18. 12 Quirinalia, antea stultorum feriæ dictus is dies, autore Sex. Pompeio.

Fornacalia fornaci deæ. Ouid. Plin.

19. 11 Charistia cognatorũ. Ouid. Val. Max.

20. 10 Feralia deæ Mutæ.

Edwardus II. Angliæ rex coronatur. Polydor.

Edwardus VI. Angliæ regno inauguratus.

21. 9 Vinalia prima quum uina pura fiunt. Ioui uinum libare mos erat, quod è dolio haustum calpare eximebãt. Plin.

22. 8 Terminalia.

23. 7 Regifugium dictus hic dies ob Tarquinium superbum à Bruto pulsum.

Templum

Dies	Templum Hierosolymitanum absolutum. Esdræ lib. 3. cap. 7. at lib. 1. cap. 6, ait perfectum fuisse tertio die mensis Adar.
24. 6	Valentinianus Imper. Augustus nuncupatus. Marcellin.
	Caroli Imper. cognom. V. natalis.
	Franciscus Galliarum rex à Cæsarianis capitur.
	Carolus V. Imperij diadema accipit.
25. 5	Lotio.
26. 4	Equiria in Campo Martio.
	Natalis Constantini.
27. 3	Ludi Apollinares fiebant, quos etiam hodie seruari, uictoriæq; simulachrum fieri scribit Blondus.
28. Prid.	Ludi Votiui. Tarquinij superati. Plut.
	L. Scipio Asiaticus cognomento triumphauit de Antiocho rege. T. Liuius.

MARTIVS. Dies 31.

1. KL.	Cal. Martiæ Matronalia dictæ, quod matronæ seruis cœnas apponerent, ut eo honore promptius obsequium prouocarent.

1. K L. uocarent. Solinus. Has Cal. fœmineas uocat Iuuenalis, quod mulieribus munera mittebant uiri, ut illæ uicißim uiris Saturnalibus Decembri mense: Tibul.

Martias Cal. matronæ celebrabant, quod eo die Iunonis Lucinæ ædes coli cœpta sit, teste Sex. Pomp. quæ in Exquilino monte posita fuit. Ouid. aut ut alij uolunt, ob memoriam belli Sabini per fœminas compositi.

Natalis dies urbis Romæ, & Maximiani Imperatoris, teste Mamertino.

Comitia agebant Senatus & populus. Solinus.

Nouus ignis in aris Vestalibus accendebatur. Ouid. Solin.

Laureas uirides aridis mutabãt, teste Solino, & in Consularibus Fascibus & in ædibus regis sacrorum, flaminũ Vestalium & curiæ. Ouid.

Quinquatria Mineruæ per triduum.

Ancylia arma Martis è cœlo lapsa Salij circumferebant, Mamuriumq; canebant.

Vecti-

Dies		Vectigalia locabantur.
		Sylla Athenarum urbem cepit. Plutarch.in Sylla.
		Natalis Martialis poëtæ epigrammatarij. Mart.
		Tabernaculũ cõsecrabant Iudæi. Ioseph.
2.	6	
3.	5	
4.	4	
5.	3	Isidis nauigium.
6.	Prid.	Cæs. Augustus Pontificatũ maximum inijt. Ouid.
7.	Nonæ	Iunonalia. Aedes Veiouis sacrata. Ouid.
		Vlpius Traianus Imper. optimus in fata concessit.
8.	8	
9.	7	
10.	6	Israëlitæ siccis pedibus Iordanem amnem pergressi. Iosue 3.
		Pœni nauali prælio superati ad Lilybæum duce C. Luctatio Catulo. Eutropius.
		Tiberius Cæs. Pontifex maximus creatus.

11. 5 Græca sacra sub obscura luce fiebant.
12. 4 Natalis Maximiliani Imper.
13. 3 Ioui cultori sacrum.
14. Prid. Pascha celebrabāt Iudæi ob excussum Aegyptiorū iugū. Iosep. & Iosue 5.
Equiria altera in cāpo Tyberino. Oui.
15. Idus Azymorum festū per dies septem continuos, quibus uescebantur Iudæi azymis. Iosephus.
Primitias pecoris deo largitori omnium offerebant. Ioseph.
Iudæi iter ingreßi ad emigrandum ex Aegypto. Num.33.
Idib. Martijs Consulatus inibātur temporib. belli Punici & Macedon. Liui.
Parricidium hic dies dictus, quo Cæsar Iulius coniuratorum scelere occubuit, ac propterea perpetuum Iustitiū in eum diem institutum. Sueton.
Mercatorum dies festus. Sex. Pomp.
Quinquatrus minusculæ.
Annæ Perennæ dies geniales fiebant, largioribus poculis indulgebatur, & pro cyathorum numero annos mutuo precabantur. Ouid.

Attilius,

Attilas, flagellũ dei nũcupatus, perijt.

16. 17 Mannæ cibi Israëlitis cœlitus pro alimonia rorãtis defluxus desijt. Iosue 5.

Hunc diem Dianæ consecrarunt Athenienses, quo uictoribus ad Salamina Græcis propitia fuit plenilunio dea. Plutarch. lib. utrum Athen. &c.

Lysãder Athenis potitus. Plutar.

Tiberius Ces. interclusa anima mortalitatem expleuit. Tacitus.

17. 16 Liberalia, quibus meraciore se explebant.

Pueri ingenui togám uirilem induebant. Ouid.

M. Aurelius Antoninus Imp. apud Syrmium extinctus, teste Tertuliano in Apologetico.

18. 15 Palatini Iouis templum exustum, quo libri Sibyllini incẽdio assumpti fuere, Iuliani Imp. tẽporibus. Marcellinus.

19. 14 Equester ordo Athenis solenni pompa Ioui prodibat.

Quinquatria, dies Mineruæ sacer.

Mineruæ natalis, quo nefas erat die gladiari. Ouid.

Dies Pueri mineruæ magistris persolue-
bant. Ouid.

20. 13 Mineruæ Capitali in Cœlio monte æ-
des sacrata et sacra fiebāt per quinq;
dies, unde Quinquatrib. nomē. Ouid.
Valentinianus Imper. in campo Mar-
tio interemptus.

21. 12 Hunc diem conditi mundi auspicem di
xere nonnulli è quibus est & Bedas.

22. 11 Arbor intrat.

23. 10 Gnostici siue Euchetæ absurdos sacrò
rum ritus quotannis repetebant. Pe-
trus Crinitus.

24. 9 Tubilustrium.

25. 8 Redemptio humani generis per salu-
tiferam Christi seruatoris necem par
ta. August. lib. 18. de Ciuitate Dei.
Alij decimo Cal. April. cruci suffixum
scribunt, eodem die quo Adam huma-
ni generis pater creatus fuerat, ut ex
Theophilo recenset Bedas: Epiphani-
us uerò lib. 2. contra Hæreses decimo
quarto Calen. April. passum astruere
uidetur.

Aequinoctiū huic diei ueteres ascripse
runt. Arcades

Dies	*Arcades finita Catabasi lætitiæ festũ diem agebant, eò quod sol longiorẽ no ƈte diem reddens terras illuminaret.*
	Veneri sacra faciebant mulieres.
	Hilaria, *matris deũm feriæ.* Lamprid. Macrob.
	Tredecim urbes in Thracia *terræmotu subuersæ.* August.
26. 7	Venetiarum *urbis fundamenta iacta.*
	Requietio. (Blondus.
27. 6	*Matri deorum pompæ anniuersariæ celebrantur, & carpentum quo uehitur simulachrum, undis* Almonis *abluitur.* Marcellinus.
	Cultores matris deûm lamentari incipiunt.
28. 5	Iano, Cõcordiæ, Saluti, Paci, *sacra fiũt.*
	Eleusinæ Cereris *sacra.*
	Græca sacra Romam *translata.*
29. 4	
30. 3	
31. Prid.	Natalis D. Constantini.
	Lunæ *sacra in monte* Auentino.
	Pomponius Atticus Ciceronis Mecœnas *decessit.* Cornel. Nepos.

F 3 Aprilis

Dies APRILIS. Dies 30.

1. K L. Calend. secundi mensis fundamenta ædis Domini Hierosolymis à reduce ab exilio populo cœpta. Esdræ lib. 3. cap. 5.

Moses censum instituit populi Iudaici. Num. 1.

Veneri sacrum cum floribus & myrto. Plutarch.

Vernalia. Fortunæ uirili thuræ sacrificatur. Ouid.

Mulieres sertis myrteis redimitæ lauantur. Plutarch. Numa.

Valens à Valentiniano fratre Imperij collega & Augustus nuncupatus. Ammianus.

Roma à Gothis capta, Anno domini 409. Blondus.

2. 4 Natalis dei Quirini.

3. 3 Ludi Megalenses per dies sequentes septem.

4. Prid.

5. Nonæ Megalesia.

6. 8 Athenienses ciuitatē lustrant. Laër.

Natalis Socratis. Plutar. Laër.

Natalis

Dies — *Natalis Dianæ. Laërtius.*

Natalis Antonini Caracallæ & mors. Spartianus.

Latinæ feriæ exibant, Latiar dicebatur. Cicer. ad Atticum.

Aedes Fortunæ publicæ in Quirinali colle dicata.

7. 7 *Natalis Apollinis, unde* ἑβδομαγέτης *ab Aeschylo dictus. Plutarch.*

Natalis Platonis & Carneadæ philosophorum. Plutarch.

Θαργήλια *Thargelia apud Athenienses, & Carnia apud Cyrenæos celebrantur, utrunq; Apollinis festum. Plutarch. 8. sympos.*

Hunc diem πολύφθορ *propriè dictũ annotat in capitum græcorum enumeratione Plutar. à frequẽtia oraculorũ.*

Persæ ad Artemisium superati, teste Aeliano, qui etiam autor est eodem die Athenienses Dianæ τῆ ἀγροτέρᾳ *trecentas capellas immolare ex uoto Miltiadæ.*

Natalis Castoris & Pollucis τῶ διοσκόρων.

8. 6 Ludi celebrantur ob deuictum à Cæsa re Iubam regem.
Natalis Seueri Imper. Spartianus.

9. 5 Cerealia. Edwardus IIII. Angliæ rex moritur.
Henricus V. Angliæ rex creatur.

10. 4

11. 3 Milo damnatus ob Clodij cædem, inualida defensione Cicerõis, ut inquit Asconius Pædianus.

12. Prid. Ludi Cereales per octo dies durant.
Pessinuntia dea, seu magna mater Romam perlata à P. Cornelio Scipione. Liuius.

13. Idus Qu. Fabius Ioui uictori ædem dedicauit, bello Sabino uotam.
Natalis Mecœnatis, teste Horatio lib. 4. Od. quo nomine hic dies solẽnis uel ideo habendus est, quod ab eo studiosorum patroni hactenus semper Mecœnates audiunt
Fidenæ à Romulo captæ & in Coloniam redactæ. Plutarch.

14. 18 Augustus ad Mutinam Antonium profligat. Ouid.

15. 17 Fordicidia, quibus forda, hoc est, grauida bos immolabatur. Ouid.

16. 16 Augustus Imperator salutatus.

17. 15 Diluuij initium incidisse in decimumseptimum secundi mensis testãtur sacra Biblia, at uicesimo septimo arefacta iam terra prodijsse ex arca Noah, exacto anno integro. Iosephus uero diluuium uicesimo septimo ascribit.

18. 14 Ludi Circenses.

19. 13 Βενδίδια in Piræo portu Athenis celebrabantur. Proclus.

20. 12 Natalẽ urbis Romæ sunt qui huic dici ascribunt, ut Varro, & Pompon. Lætus ita accipere uidetur, quando scribit hoc die anno ab urbe condita millesimo, ingenti pompa magnoq; apparatu sæculares ludos à Philippo Imper. celebratos, belluis à Gordiano asseruatis, quod iste iuuenis natali urbis Romæ triumphare decreuerat: Solinus undecimo Cal. Maias Romæ fundamẽta iecisse Romulum ait.
Equiria in circo maximo.
Quirinalia. Varro.

Dies Agonia seu Agonalia altera.
Vulpes cum stipulis ardentibus cursitabant.
Palilia, oues Lustrantur crepusculo, ouilia frondibus decorantur, flammas transilire mos erat, Ouid. nefas habebatur mactare hostiam.

21. 11 Henricus VII. Angliæ rex moritur.

22. 10

23. 9 Troia capta, annis ante Christi natalē 1149. Ephorus, Plutar. Halicar.
Vinala priora Vinis degustandis instituta. Ouid. Plinius.
Hic dies natalis fuit Mahumethi Agareni ueri Antichristi.

24. 8 Albertus Cæs. trucidatur à quatuor cō iuratis. Cuspin.
Carthaginenses in Sicilia à Timoleonte profligati. Plutarch. Camillo.

25. 7 Lustria Marti fiebant in quibus tubæ, aquilæ, et alia arma lustrabāt. Blōdus.
Robigalia. Sex. Pomp. Plin.

26. 6 Natalis M. Antonini philosophi. Capitolin.

27. 5 Latinæ feriæ in monte sacro. Liuius

Natalis

Dies | Natalis Rodulphi Cæsaris.

28. 4 Floralia per dies sequentes è Sibyllæ monitis instituta, ut omnia bene deflorescerent. Plin. 18.
Ludi celebres Antij usque ad Pridie Non. Maij fiebant. Cicer.
Natalis Othonis Syluij Imp. Sueton.

29. 3

30. Prid. Vestæ Palatinæ sacrum.
Lucanus poëta sectis uenis interijt Neronis iussu.

MAIVS. Dies 31

1. KL. Bonam deam, Faunã, Opem, Fatuamq́; ex Pontificum libris indigitabant.
Aaron uita defunctus. Ioseph.
Aedes Maiæ dedicata sub nomine Bonæ deæ. Macrob.
Flamen Vulcanalis sacrum faciebat Opi, suemqúe prægnantem mactabat Maiæ & Mercurio.
Laribus Præstitibus ara ponebatur. Ouidius.
Arcadius Imp. decessit.
Albertus Imp. à nepote interficitur.

2. 6

2. 6

3. 5

4. 4 Ludi Maximi per dies sex.

5. 3 Oues tondentur. Roma à Caroli Cæs. exercitu diripitur capta.
Balduinus Flander Imper. Constantinopoli inauguratur.

6. Prid.

7. Nonæ Cal. Non. & Idib. Maijs Lari deo sacra fiebant asello panibus coronato.
Otho I. Imper. deceßit.

8. 8

9. 7 Lemuria noctu peragebantur. Varro.
Ominosum habebatur nubere.

10. 6 Constantinus Byzantium condit, indito urbi de se nomine. Pomp. Lætus.
Natalis Claudij Imper.
Olearum & uitium conceptus incipit. Plinius.

11. 5 Segetes runcantur.

12. 4 Marti ultori ludi fiebant. Sacer dies apud Athenienses prælio Mantiniaco, quo cæteris cõfœderatis fugientibus, ipsi trophæum statuerunt, teste Plut. lib. utrum Athenienʃ. clariores &c.

13. 3 Ludi Persici per dies aliquot.
Aestatis initium.

14. Prid. Βουφόνια Athenis celebrabantur. Ety mologici autor.

15. Idus Mercatorum feriae, quod eo die Mercurij aedes esset dedicata, Tito Liuio & Sex. Pomp. testibus: uel quod Mercurij natalis fuerit is dies, testibus Martial. et Ausonio, quo è Mercurij fonte ad portam Capenam mercatores aspergebant se laureo termite immerso, uberioris quaestus gratia. Ouid.
Simulachra scirpea, Argei, & oscilla in Tyberim praecipitabātur. Macrob. Euseb. Dionys.
Valentinianus Iunior Imper. moritur. Epiphanius.

16. 17

17. 16 Ludorum Persicorum finis.

18. 15 Natalis Ammonis.

19. 14

20. 13 Agonalia. Ouid.

21. 12 Vulcano tubilustria, quibus tubae purae lustrabantur. Ouid.
Ludouicus cognomento Pius Imp. decessit.

Henricus

Dies — *Henricus V. Imper. diem obijt.*

22. 11 — *Lustratio segetum.*
Fortunæ publicæ templũ dicatũ. Ouid.

23. 10

24. 9 — *Syracusanis solennis dies ob deletas ad Asinaram fluuium Atheniensium copias. Regifugium alterum. Ouid.*
Natalis Timoleõtis Syracusani ducis.

25. 8 — *Templum Fortunæ datum. Ouid.*

26. 7 — *Germanicus Cæs. de Cheruscis, Chattis, & Angriuarijs deuictis triumphauit. Corn. Tacitus.*

27. 6 — *Natalis Antonini Getæ Cæs. Spartian.*
Honori, Opi, & Virtuti solennitas decreta.

28. 5

29. 4 — *Ludi Fabrici per quatriduum.*
Constantinopolis à Mahumetho Turcarum rege capta, anno 1452.
Philippus Valesius regni Francici diadema accipit.

30. 3

31. Pridie

Dies IVNIVS. Dies 30.

1. K L. *Calēdæ Iuniæ Fabariæ appellatæ, quoniam fabæ adultæ, calido farre mixtæ (quo esu credebatur procurari uiscerum læsio) hoc mense diuinis rebus ad miscerentur. Ouid. Macrob.*
Aedes Iunoni Monetæ dedicata à Camillo. Macrob.
Pinguia larda gustabantur. Ouid.
Carnæ deæ sacrum fecit pulso Tarquinio Iunius Brutus in monte Cœlio. Macrobius.
Marti sacrum extra portā Capenam. Ouidius.
Tempestati delubrum positum. Ouid.

2. 4

3. 3 *Senatus legitimus.*

4. Prid. *Bellonæ sacra decreta, templumq; dicatum, Appio Claudio pacem dissuadente cum Pyrrho. Ouid.*
Herculi ædes posita in Circo. Ouid.
Ludi in Numicia.

5. Nonæ *Athenienses duas insignes obtinuerūt uictorias, Græciæq; libertatem asseruerūt: quarum altera ad Leuctra, altera*

Dies tera Geræstum parta fuit superatis Thessalis. Plutarch. in Camillo.

Sponsoris Iouis sacrum.

Templum Fidei positum. Ouid. ait sacrum fieri Fidio semipatri.

6. 8 Natalis Alexandri Macedonis.

Parmenion Persas fundit.

Philippus Macedo quadrigis uictor in Olympijs.

Ephesiæ Dianæ templum cõflagrauit ab Herostrato incensum. Plutarch.

Colossus Romæ coronabatur.

Iulianus Imper. apostata apud Ctesiphontem interfectus. Sũt qui huic diei ascribunt & cladem Platæensem Persarum, & caprarum immolationem ex uoto Miltiadis, quam Aprilis mẽsis septimo ex Aeliani fide detulimus.

7. 7 Piscatorum feriæ. Ouid.

Vesta aperitur.

Menti delubrum Punico bello uotum & positum. Ouid.

Iouinianus Iuliano in impio successit.

8. 6 Ludi Tiberini in cãpo Martio. Ouid.

Ara Ioui Pistori posita.

9. 5 Nabuchodonoſor poſt longam obſidionem potitur urbe Hieroſolymitana, capto eorũ rege Sedecia. Hierem. 39.
M. Craſſus cum exercitu à Parthis cæſus.
Ventidius Pacorum regem Parthorũ ſingulari uictoria profligauit.
Brutus ulteriorem Hiſpaniam ſubegit. Ouid.
Veſtalia celebrantur.
Quinquatrus minores.
10. 4 Matralia matri Matutæ.
Concordiæ ædem Liuia poſuit.
Tripolis à Chriſtianis capta an. 1109. Guilelmus Tyrius.
11. 3 Rutilius à Marſis interfectus.
12. Pridie
13. Idus. Ioui inuicto ædes dicata. Ouid.
Minuſculæ Quinquatrus, teſte Varrone lib. 5. de lingua Latina. Sex. Pomp. Idus Martias ab alijs ita uocari autor eſt.
Tibicines feriati per urbem uagantes ad ædem Mineruæ conueniunt. Var.
Natalis Muſarũ. Senatus legittimus.

14. 18 *Artabazum è Græcia profugum hoc die annotant quidam.*

15. 17 *Vesta clauditur.*

Ex æde Vestæ deferebatur stercus in angiportum medium ferè cliui Capitolini, qui locus clausus erat porta stercoraria. Sex. Pomp. Var.

Nicenum concilium aduersus Arrianum dogma celebratum à Cōstantino Magno.

16. 16 *Ὀικέσια Athenis celebrantur, quādo Paci sacrum fiebat ἀναιμωτὶ absq; sanguine litato. Aristoph. Scholiastes.*

Aequi & Volsci à Posthumio fugati.

Babylone celebrabatur festū σακέας dictum quinûm dierum spatio, simile Saturnalibus Romanorum, seruis personam Herilem sustinētibus, indutisq; regali quadam stola. Berosus in primo rerum Babyloniacarum.

17. 15 *Ieiunium fractionis tabularum Iudæi celebrant, quo die Moses de monte Sina descendēs legum tabulas cōfregit.*

Manasses rex idolum in adyto erexit.

Muri Hierosolymorum corruēre.

18.

18. 14 Darius uincitur ab Alexandro.
Annæ ſacrum.
Leo III. Imper. qui ſimulachra è templis orientis eiecit, decedit.

19. 13 Palladi in colle Auentino ſacrũ. Ouid.

20. 12 Summano templum poſitum exterrita urbe bello contra Pyrrhum Epirotam. Ouid.

21. 11 Herculi ſacrum.

22. 10 Philippus Cæſ. trucidatus.

23. 9 Flaminius ad Thraſymenum à Pœno deuictus.
Dies ater Romanis.

24. 8 Haſdrubal cæſus.
Syphax à Maſaniſſa ſuperatus.
Naues coronatæ per Tyberim agitabant conuiuia.
Fortis Fortunæ ſacra.
Veſpaſianus pater mortuus.

25. 7

26. 6 Hieroſolyma à Pompeio capta A. Gabinio & Cicer. Coss.
Eutropius ait hoc die periiſſe Iulianũ Imper. in expeditione Parthica: at Socrates in hiſtoria Eccl. ſexto die Iunij.

Dies	Regifugij sacrum. Ouid.
27. 5	Ioui statori templum à Romulo conditum. Ouid.
28. 4	Panathenæa magna Athenis. Proclus. Hipparchus Athen. tyrannus interemptus ab Aristogitone & Harmodio. Thucydides. Fauno sacrum. Fridericus I. Aenobardus imperij diadema cepit. Carolus V. consensu principum designatus Imper. anno 1519.
29. 3	Quirini templum in colle Quirinali. Edwardus IIII. Angliæ rex creatur.
30. Prid.	Herculis & Musarum.

IVLIVS. Dies 31.

1. KL	Commigrationes ex ædibus in alienas fiebant: alij hoc deferunt Calendis Augusti. Senatus legitt. Vespasianus Imper. imperiũ suscepit.
2. 6	Henricus cognomẽto Auceps Imper. extinctus.
3. 5	
4. 4	

5. 3 *Ludi Apollinares à P. Licinio Varo instituti per octo dies. Liuius.*

6. Prid. *Apud Rhodios immolabatur uix Saturno uictima, ut refert Porphyrius libro de abstinendo ab animalibus.*

Capitolium cõflagrauit tẽpore Syllæ.

Ludouicus X. Francorum rex obijt.

7. Nonæ *Caprotinæ dictæ & uulgi fuga: Macrob. Populifugia nominat, quod populus à Thuscus in fugam uersus fuerit: uel quod fugerit in Romuli raptu oborta subita procella, teste Halicarnassæo lib. 2.*

Romulus captus è uita excesit. Plutarch. Capitolinus. Solinus.

Ad Capreæ paludem extra urbem sacrificabatur.

Dies festus ancillarum, Caprificia dictus. Macrob. Varro.

Athenienses ab Antipatro Cranone deleti: & apud Chæroneam à Philippo clade affecti. Plutarchus.

Ὀσχοφόρια Athenis celebrabantur.

Commodus Antoninus toga sumpta Cæsar appellatus. Lamprid.

G 3 Templum

Templum Hierosolymitanum incensum à præfecto Nebucadnæsar, siue Nabuchodonosor: muri diruti, ædes magnatum incendio absumptæ. 4. Regum 25.

Archidamus cum exercitu in Italia cõ cisus. Plutarch.

Edwardus I. Angliæ rex decesśit.

8. 8 Vitulatio fiebat certis sacrificijs ob uictoriam. Macrob.

Vitulæ deæ lætitiæ pro frugibus sacra fiebant. Macrob.

9. 7 Ater dies Iudæis habitus: quo obseruabant ieiunium.

Athenienſi reipub. infelix dies habitus ob accepta damna.

10. 6 Meßis.

11. 5 Nobilitas Francica ad internecionem deleta à Flandris, anno 1302.

12. 4 Natalis Iulij Cæsaris. Sueton.

Decretum Senatusconsulto ut natalis Iulij festus haberetur uniuerso populo, utq; laureas gestarent, dirasq; imprecatus est Senatus omnibus diem negligẽtibus: Postea cautum, ut pridie

Dies

Dies | eius diei natalis celebraretur, quod in ipsum natalem incurrat Apollinis festum, quod consulti libri Sibyllini, nulli alij deo præterquam Apollini sacrum esse uolebant. Dion 47.

Roma à Vandalis direpta, anno 455.

13. 3 Scarparia Hetruriæ terræmotu grauißimè afflictata. Georg.

14. Prid. Fortunæ muliebri dicatus. Liuius. Dionysius.

Gouleta Tunetensis arx munitißima à Carolo Cæs. expugnata.

Henricus Imper. obijt.

15. Idus Adonia celebrabantur.

Athenis fœminæ ieiunium seruabant, quod luctuosus esset dies.

Equitum turmæ in Campo Martio festa fronde & olea coronatæ, aciei speciem præbebant, & imaginem Germanici Agrippæ sequebantur, teste Cor. Tacito: idq; ab æde Honoris in Capitolium, autore Dionys. Plin. Refert Titus Liuius à Q. Fabio Maximo institutum ut equites transueherentur Idib. Quintilib. Castori ædes dicata.

Dies — Hierosolyma recuperata à Christianis, anno 1099. Guilel. Tyrius.

16. 17 — Fabij apud Cremeram cæsi, Plutarch. in Camillo cædem Fabiorum & cladem Alliensem ad solstitiũ æstiuum refert. Romani ad Alliam à Gallis uicti. Macrobius.

Rodulphus Cæs. diem obijt.

Richardus II. Angliæ regno inauguratur. Polydor.

17. 16. — Senatus legitt.

18. 15 — Vitellius Imper. Pontificatum Max. adeptus de ceremonijs publicis edixit. Tacitus.

Hũc diem Cremerensi Alliensiq; cladibus infaustum tradit Tacitus.

19. 14 — Ludi uotiui.

20. 13 — Ludi Apollinares.

21. 12 — Horrendi terræmotus toto orbe grassati Valentiniano Imperante. Marcellinus 26.

Tunete Africæ regia ciuitate potitus Carolus V. Imper.

22. 11 — Ludi Neptuno.

Carolus VII. Francorum rex obijt.

23.

23. 10 *Mulieres prægnantes* Opigenæ *cære-as imagines offerebãt auxilium in partu deprecantes.*
Carthaginẽsibus inauspicatus dies & maximarum calamitatũ autor. Plutar.

24. 9 *Phœbo mel nouum, uinum, & farina offerebantur.*
Festum nomine Asinarum à fluuio uictoriæ teste celebrabant Syracusani, in memoriam cæsi Atheniensium exercitus duce Nicia & Demosthene. Plutarch. in Nicia.
Gratianus Imper. dolo interemptus à Maximo Britone, qui sumpta purpura imperium sibi arrogauit.

25. 8

26. 7 *Ludi uotiui.* *Nicephorus Imper. à Bulgaris interfectus.*

27. 6 *Victoria Sarmatica.*

28. 5 *Cereri lacte, uino, & melle sacrificabatur.*
Dies Faustus admodũ & fœlix habebatur.

29. 4

30. 3

31. Prid.

Dies AVGVSTVS. Dies 31.

1. KL. *Spei ad olitorium forum sacrum.*
Auspicatus credebatur Romanis dies, quo è ueteribus in nouas domos commigrabant: alij Iulio ascribunt.
Marti templum sacratum. Dion.
Ara Lugduni Augusto Cæs. dedicata. Suetonius.
Natalis Claudij Tiberij Cæs. & Pertinacis Imper.

2. 4 *Neptunus & alij dij de regionibus sortiti post iurgia credebantur hoc die. Plutarch. lib. 9. sympos.*
Feriæ ob subactam à Cæsare citeriorem Hispaniam.
Romani ingentem cladem ad Cannas acceperunt. Macrob.
Guilelmus cognomento Ruffus Angliæ rex è uita excessit.

3. 3 *Persæ ad Plateas, & circa Mycalen deuicti à Græcis insigni clade.* Plutarch. in Camil.

4. Prid. *Victoria.*

5. Nonæ *Saluti in Colle Quirinali sacrum. Ciceronis natalis: quo et ab exilio rediit,*

Dies — *ut ipse testatur in orat. pro Sestio, aliter Gellius ex Cornelio Nepote. Plutarch. in Camil.*

6. 8 — *Persæ in Marathone debellati. Plutarch. in Camil.*

Ludouicus VIII. Francorum rex decessit.

7. 7 — *Natalis Constantini.*

8. 6 — *Ludi uotiui ab Imperatoribus tantum obseruati & ab anno Imperij computati, nam annorũ Imperij numero respondebat totidem dierum ludis impensorum ratio.*

Solis indigetis in Colle Quirinali.

9. 5 — *Hadrianus Imper. natalem adoptionis suæ celebrabat. Spartianus.*

Romanæ legiones ad internecionem deletæ à Gothis ad Constantinopolim, Romano Imp. Valente tugurij in quod confugerat incendio absumpto.

10. 4 — *Bellonæ sacerdotes ensibus humeros & brachia diuidebant, cruore expiantes crimina, & pro uulneribus stipem recipiebant.*

Aræ Opis & Cereris in uico Iugario.

Dies

Dies Templum Hierosolymitanum à Vespasianis exustum, & ab Tito Annio Ruso aratum fuit, in ignominiam gentis oppressæ. Ioseph. Hieronym.

11. 3

12. Prid. Charisteria pro libertate sacrificabãt Athenienses. Plutarch.

Herculi custodi in Circo Flaminio. Lignapsia.

13. Idus Natalis Dianæ, teste Martiali: unde et Hecateias has Idus appellat Statius lib. 3. Syluarum: et Ausonius. Sextiles Hecate Latonia uendicat Idus.

Seruorũ dies, quod eo die Seruius Tullius serua natus ædem in Auẽtino Dianæ dicarit, cuius tutelæ sunt cerui, à quorum celeritate fugitiui uocantur cerui. Sex. Pomp.

Facibus accensis ab urbe in nemus Ariciæ, ubi Diane templum erat, discurrebatur. Statius.

14. 19 Athenienses duce Gabria nauali prælio ad Naxum insulam uictores fuere. Plutarch. in Camillo.

Artabazum & Persas è Græcia fuga

Dies

Dies runt: itaq; fœlix illis dies fuit habitus: Liberatori Ioui sacrificabant, uictimasq; cædebant.

15. 18 Magnentius Imper. sua ipsius manu cadit.

Henricus VII. Imper. ueneno sub sacra synaxi latente sublatus.

Rhodus redacta in potestatem Christianorum, anno 1308.

16. 17 Consualia hoc die ponunt nonnulli.

17. 16 Tyberinalia. Iano ad theatrum Marcelli sacrum.

Portumnalia ad pontem Aemylium.

18. 15 Neptuno ludi equestres à Romulo instituti, Consualia dicti: Plutarch in Numa. Sabinarum raptum huc transferunt nõnulli, alij ad mẽsem Martiũ.

Thebæ euersæ ab Alexandro Macedone. Plutarch. in Camil.

19. 14 Vinalia rustica, quo die uinum in urbẽ primum deferebant, is dies Ioui sacer erat, quod Latini cum Mezentio bellum gerentes Ioui libationem uini omnes dedicarant. Sex. Pomp.

Natalis Probi Imperat.

Dies

Dies Veneri templa consecrata, alterum ad Circum maximum, alterum in luco Libitinensi. Sex. Pomp.

Augustus moritur, quo die primũ Consulatum inierat, ut & Dion lib. 56. & Sueton. testantur.

Fridericus III. Imper. obijt.

20. 13 Vinalia secunda leniendis tempestatibus instituta, quibus agna Ioui mactabatur. Plin. 18.

Flamẽ Dialis Vindemiã auspicabatur.

Mysteria Athenis agebantur, quibus extra urbem mysticus Iacchus efferebatur. Plutarch. in Camil.

Athenienses ad Salamina nauali prælio uicere. Plutarch. in Camil.

Athenienses præsidium Macedonum ab Alexandro imperatum accepere. Plutarch.

21. 12 Vinalia rustica huc refert Varro lib. 5. de lingua Latina.

Veneri dedicata ædes, & horti Veneris tutelæ aßignabantur. Varro.

Holitorum dies feriatus. Var.

22. 11 Dianæ sacrum ob uenationes.

Dies Richardus III. Angliæ rex in conflictu cæsus.

23. 10 Ludi Vulcano fiebant in Circo Flaminio.

24. 9 Cœna Pontificum. Gratianus Imper. apud Ambianos factus.

25. 8 Ambaruale sacrum.
Opi Consiuæ in Capitolio. Var.

26. 7 Matronæ phallum uirilis membri figura ad ædem Veneris extra portã Collinam cum pompa sacrorum deferebant, φαλλαγώγια uocant Græci.
Caletum, siue Iecius portus, Anglo deditur.

27. 6 Vulturnalia. Var.
Persæ in Arbelis cladẽ accepere. Plut.
Maximus Brito Imper. à Theodosio obtruncatur.

28. 5. Soli & Lunæ sacra fiebant.

29. 4 Vulcanalia. Sex. Pomp.
Ludouicus Pannoniæ rex cum exercitu à Turcis deletus, anno 1526.

30. 3 Mundus Cereris patet.

31. Prid. Natalis Caij Caligulæ. Dion & Suet.
Natalis Cõmodi Antonini. Lamprid.

Dies

Dies Cereri gratiarum actio.

SEPTEMBER. Dies 30.

1. KL. *Festum clangoris seu buccinæ, in memoriam, ut uolunt quidam, Isaaci ab immolatione exempti, celebratur Iudæis. Alij asserunt esse parasceuen sequentis Scenopegiæ, quo uidelicet animi hominum ad reliqua festa præparentur.* Num. 29. Leuit. 23.
Apud Elæos Bacchi festo tres lebetes sua sponte in templo implebantur.
Senatus legitt.

2. 4 *Cæsar Augustus ad Actium Cleopatram cum Antonio deuicit.* Dion lib. 51.
Ab hoc die numerabatur Augusti monarchia. Dion.
Amathusij in Cypro sacrum faciebant Ariadnæ, ex instituto Thesei. Plutar. in Tyesto.

3. 3 L. *Aemilius Paulus Perseum deuicit.* Eutropius.

4. Prid.

5. Nonæ (batur.

6. 8 *Ariete & oue nigra Erebo sacrifica-*

Dies

Dies Guilelmus cognomẽto Conqueſtor Angliæ rex decedit.

7. 7

8. 6 Dedicatio altaris ænei à Salomone facta. 2. Paralip. 7.

Nicias Athenienſis in fugam uerſus.

Conſtantinus VII. Imper. extinctus.

Athenienſibus ater dies.

9. 5 Natalis Aureliani, & Honorij Imperatorum.

10. 4 Dies expiationum, à delicto adorati uituli aurei, quo ieiunare, & uniuerſi ad templum Domini commeare, atque ab omni labore ſuperſedere tenebantur Iudæi. Leuit. 16. & 23. Num. 29.

Leptin (quæ hodie Africa nominatur) expugnauit Caroli V. Imp. exercitus.

11. 3 Natalis Aſclepiadis.

12. Prid.

13. Idus Capitolij dedicatio Ioui facta. Plutarch. Liuius.

Prætor maximus clauũ pãgit. Liuius.

Dies feſtus Roman. quo ſe interfécerat Libo Druſus è Scriboniorum familia, res nouas in Tiberij imperium mo-

Dies	liri creditus. Tacitus lib. 2.
	Titus Vespasianus in fata concessit.
	Proteruia. Senatus legitt.
14. 18	
15. 17	Festum tabernaculorum apud Iudæos, Scenopegia dictum, in monumentum profectionis in deserto, per septem dies. Ioseph.
	Iuuentæ & Summani festum apud Romanos.
	Ludi Romani per quatuor dies, qui & magni. Ascon.
16. 16	Parentalia pro Græcis in pugna contra Persas cæsis à Platæensibus celebrabantur. Plutarch. in Aristide.
	Poma leguntur.
	Carolus VI. Francorũ rex decessit.
17. 15	Eugenium Imperium inuadentem cum Arbogaste malitiæ principe Theodosius incredibili cœli fauore deuicit.
	Philippus Austriacus pater Caroli V. uita excessit.
18. 14	Natalis Traiani. Mors Domitiani. Sueton.
	Ludi triumphales.

19. 13 Thoth,id est, Mercurio,rem sacram faciebant Aegyptij melle & ficubus uescentes. Plutarch.lib.de Iside.

Ludi Circenses in Antonini Pij natalē instituti. Capitolin.

Antoninus Diadumenus Imper. ijsdē die & hora natus, quibus Antoninus Pius. Lamprid.

Ioannes Francorum rex insigni uictoria captus ab Edwardo Tertio Anglo in prælio Pictauiensi.

20. 12 Ludi triumphales Augusto per quatuor dies.

Romuli natalis. Plutarch.

21. 11 Canis immolabatur Marti apud Lacedæmonios.

Festum palmarum apud Iudæos, quo sumebantur citra & clatæ palmarū.

22. 10

23. 9 Natalis Augusti Cæs. Cicerone & Antonio Coss. Sueton.Dion.

Cursus equorum in sempiternum instituti. Dion.

Collecta Iudæorum fiebat,hoc est,coibāt ad audienda uerba Dei.Paralip.2. cap.7.

Dies	Pipinus Francorum rex aqua intercute perijt.
24. 8	Olympiadum anni hinc sumunt initiũ. Arborum ablaqueatio. Stephanus Angliæ rex moritur.
25. 7	Saturno & Maniæ humanis uictimis ex Herculis monitu sacrificabatur. Persæ ab Alexãdro Seuero Imper. memorabili clade fusi. Lamprid.
26. 6	
27. 5	Guilelmus cognomine Ruffus regno Angliæ consecratur.
28. 4	Nicias & Demosthenes capti.
29. 3	Ludi fatales. Lotharius Imper. decẽßit. Terræmotus in Campania montem egeßit Modernum nomine. Georg.
30. Prid.	Epulum Mineruæ: sunt qui quarto Calend. Oct. tribuunt. Hunc uerè principẽ anni diem demonstrationibus asserere conatur Isaacus Argyrus græcus autor. Cn. Pompeij Magni natalis, idem & funebris dies. Plin. lib. 37. Cn. Pompeius nobilem triumphũ egit

Dies de prædonibus, Asia Ponto, & Regibus. Plin. lib. 37.

OCTOBER. Dies 31.

1. KL. Natalis Alexandri Seueri Imper.
2. 6
3. 5 Persarum ad Marathona stragem huc referunt nonnulli.
4. 4 Lemuralia. Dies infœlix habitus. Quarto Non. Oct. et septimo Idus Nouemb. & postridie Vulcanalium, gentiles mundum patere ac dehiscere ter in anno putabant, dies eos religiosos habẽtes, nam nec cum hoste manu conserebatur: non exercitus scribebatur, non comitia habebãtur: non aliud quicquam in repub. nisi quod ultima extudisset necessitas, administrabatur. Sex. Pomp.
5. 3 Ludi Alamannici per sex dies. Ara deorum inferorũ placandis manibus secundo adibatur in Circo maximo. Constantius Imper. mortuus. Ammianus libro 21.

Dies Henricus III. Imper. decedit.

6. Prid. Romani ingenti clade à Cimbris profligati.

L. Lucullus in Tigranem Armeniã exercitum duxit, exigua manu magnas hostium copias fudit, insigni usus uictoria. Plutarch. in Lucul.

7. Nonæ Theseus Apollini uotum persoluit pro sospite reditu. Plutarch.

8. 8 Pyanepsia Apollini celebrabantur. Suidas.

Ειρεσιώνη, id est, ramus oleaginus lana obuolutus cum appendice fructuum ante ædes plexus suspendebatur. Plutarch.

Oschophoria, quasi Ramigera dicas, ex Thesei instituto Athenis agebãtur, in memoriam Thesei è Creta cum iuuenibus reducis, quo tempore annotini fructus in urbem ex agris cõportabantur, collecta uindemia. Plutarch.

9. 7 Vindemia ultima.

Hyperides orator exacta lingua interijt. Plutarch.

10. 6

11. 5 Nicæa funditus terræmotu subuersa, anno 368.
Ludouicus Imper. fato concessit.
12. 4 Augustales ludi.
13. 3 Ioui liberatori per dies sequẽtes ludos Rom. celebrant.
Tiberius Claudius Nero è uita excessit. Seneca. Sueton.
Henricus IIII. Angliæ rex creatur. Polydor.
Edwardus VI. Britannidum insularũ rex nascitur.
14. Prid.
15. Idus Natalis Vergilij poetæ. Martial. Ausonius.
Mercatores Mercurio sacra faciebãt.
Equus October nomine in campo Martio immolabatur, cuius os panibus redimibãt, sacrificiumq; istud Marti ob frugum euentum statuebant. Sex. Pomp.
Bononia Picardiæ, olim Gessoriacum dicta, Henrico VIII. Angliæ regi subditur.
16. 17 Cerealia, θεσμοφόρια Athenis. Plutarch. in Demost. Demosthenes ora

Dies tor exucto ueneno sibi ipse necem conscivit. Plutarch.

17. 16

18. 15 Aelius Seianus Imperij affectator, & Tiberij insidiator: ac Agrippina Germanici filia tolluntur: decretumq; senatusconsulto ut quotannis donum Ioui sacraretur. Tacitus 5.

19. 14 Magnorum mysteriorum solēnes dies Athenis.

Liber pater in Eleusina ex urbe transmittitur.

Carthago à Genserico Vandalorū rege occupata.

Ludi Solis per quatriduum.

20. 13

21. 12 Pambœotia Palladis sacra.

22. 11 Amplißimum Daphæi Apollinis templum ab Epiphane Antiocho conditū, subita ui flammarum exūstum est sub Iuliano Imperat. Ammianus lib. 22.

23. 10 Libero patri sacra fiunt.

24. 9 Natalis Domitiani. Sueton.

25. 8 Lacedæmonij uini quartarios Apollini offerebāt, pecorib. super immolatis.

Dies Henricus V. Angliæ rex Gallos nobili uictoria cæcidit.

26. 7

27. 6 Albertus decimusquartus Bohemorũ rex extinctus.

28. 5 Isiaca per quatriduum sequens. Euictio tyranni.

29. 4

30. 3 Ludi uotiui. Leodienses post rebellionẽ à Carolo Audace miserrimè ferro & igne uastati.

31. Prid. Χαλκεῖα Athenis celebrabantur, festum commune fabris omnibus uictum manu quærentibus, potißimum uerò fabris ærarijs, ut Apollonius Acharnensis scribit, in honorem Vulcani, teste Phanodemo: Alij solẽne festum Mineruæ faciunt. Harpocration. Henricus VII. Angliæ rex inauguratus regno.

NOVEMBER. Dies 30.

1. KL. Pontius Telesinus cum Sylla acriter conflixit ciuili bello, & superatus est. Velleius.

2. 4 *Ternouena.*

3. 3 *Hilaria.*

4. Prid.

5. Nonæ Neptuno gratiarum actio habetur à nautis.

6. 8 Genio Fausto libabant Græci post primum Zephyri flatum, quod is uentus crederetur mustum uapidum reddere. Plutarch. in sympos.

Vesuuius arsit sub Leone Imper. ita ut caligine nocturna diem offuscarit, & Europam ui uentorum impellente minuto puluere respersçrit. Marcel.

Iulianus à Constantio adoptatus, purpuram induit, Cæsar electus. Pompon. Lætus.

Henricus VI. Angliæ rex coronatur.

7. 7 Inferorum parentationes fiebant. Dies infaustus Rom.

8. 6. Natalis Neruæ Traiani, & Cõstantij. Ara deorum inferorum in Circo maximo adibatur tertio placãdis manibus.

9. 5 Ludi uotiui.

10. 4 πιθοιγία Athenienſibus festũ, quando reserabant uini dolia. Plutarch. &

Dies

Dies Proclus. Idem fermè mos obseruatur hodie hoc ipso die D. Martino sacro. Hysteria.

11. 3 Maria clauduntur usq; ad sextum Idus Martij. Vegetius.

12. Prid. Ludi plæbeij per dies quinq;.

13. Idus Iouis epulum.

Moris erat Athenis minerual & munera præceptoribus rhetoribusq; mittere, ut ex Eubulide refert Athenæus. χύτροι & χόες utrunq; festum uno hoc die celebrabatur, teste Didymo: agebatur autē Mercurio τῷ χθονίῳ, id est, infero, tum pro defunctis, tum pro periculis, quæ quisq; euaserat, ut ex Theopompo referunt Philochorus & Suidas.

14. 18

15. 17 Sementis triticea fit.

16. 16 Natalis Tiberij Cæs. Dion & Sueton. Henricus III. Angliæ rex obijt.

17. 15 Natalis Vespasiani patris Titi. Valentinianus Imper. subito sanguinis effluuio perit.

18. 14

19.

19. 13	*Cœna Pontificum in honorem Cybeles matris deûm præparabatur.*
20. 12	
21. 11	*Ludi Liberalici in honorem nympharum & heroum instituti.* *Albertus V. Imper. moritur.*
22. 10	*Viuo homine Plutoni & Proserpinæ sacrificabatur.*
23. 9	*Valentinianus Iunior patri succedit in Imperio.*
24. 8	*Bruma. Ladislaus Pannoniæ Bohemiæq; rex interit.*
25. 7	*Ludi Sarmatici per dies septem.* *Encœnia Iudæorum, quibus expiatum fuit templum Hierosolymitanũ ab Antiocho prophanatum atque pollutum: expiauit autem Iudas Machabeus. Machab. 2. cap. 1.* *Granatam regni caput in Betica recepit à Mauris Ferdinãdus rex an. 1491.*
26. 6	
27. 5	*Horatius Flaccus poëta Lyricus obijt diem.* *Commodus Antoninus Imperator appellatur. Lamprid.*

28. 4 *Semideis & Heroibus honores decernuntur, estq́; status dies.*

29. 3 *Arnulphus Imper. pthiriasi perijt.*

30. Prid.

DECEMBER. Dies 31.

1. KL. *Fortunæ muliebri festum ob sublatum eo die bellum.*
Cn. Octauius de Perseo rege Macedonum naualem triumphum egit. Titus Liuius.

2. 4 *Nicomedia terræmotu collapsa sub Iuliano Imper. Marcellinus.*

3. 3 *Senatus legittimus.*

4. Prid. *Munus Arcadicum.*
Carolomannus Francorum rex in fata conceßit.

5. Nonæ *Fauni festa anniuersaria peruigilio celebrãtur, Faunalia uocat Porphyr.*

6. 8

7. 7 *Otho II. Imper. deceßit Romæ.*

8. 6 *Natalis Horatij Flacci poëtæ.*

9. 5 *Puellæ innuptæ & uiduæ conueniunt, Iunoni τῇ ζυγίᾳ coniugiorum præsidi offerunt donaria,*

Dies

Dies	
	Sigismundus Imper. mortuus.
10. 4	Nabuchodonosor obsidione premit urbem Hierosolymitanam. 4.Reg.25. & Hierem.39.
11. 3	Halcyonia per dies quatuordecim. Septimontia.
12. Prid.	Ludi Lancionici per dies septem.
13. Idus	Cursus equorum fiunt, et equus uictor dexterioris bigæ Marti deo immolatur,
	Maximianus Imper. acerrimus Christiani nominis persecutor, Maßiliæ interficitur. Senatus legittimus.
	Fridericus Aenobardus Imp. deceßit.
14. 19	
15. 18	Natalis Neronis. Sueton.
	Natalis Veri Imper. Capitolin.
16. 17	Pipinus Austrasius diem obijt.
17. 16	Saturnalia per triduum durãt: quibus Heri seruis suis cœnas apponebant, quasi gratiam perfecti laboris repensantes, teste Solino. Serui ingenuorum calceis induti lautè accipiebantur. Porphyrius.
	Mulieres uiris munera mittebant.

18. 15 *Aesculapij festum Athenis.*
Ludi Lancionici finiunt.
Munus Arcadicum.

19. 14 *Opalia. Macrob.*
Henricus II. Angliæ rex creatur.

20. 13 *Natalis Epicuri. Meraciore uino se explebant.*

21. 12 *Herculi & Cereri sue prægnante panibus & mulso sacrificabatur. Macrob. Seruius.*
Angeroniæ silentij deæ sacrum Pontifices celebrabant. Macrob. Plin.

22. 11 *Compitalia & Ludi Laribus instituti. Plinius 36.*
Sigillaria incipiunt, durantq; per dies septem.

23. 10 *Laurentinalia Iouis feriæ.*
M. Fuluius Nobilior de Aetolis triumphauit. Liuius.
Munus Arcadicum.

24. 9 *Dies Iuuenalis.*
Natalis Sergij Galbæ.

25. 8 *Natalis Christi redemptoris, teste Augustino. aliter colligit Epiphanius lib. 2. contra Hæreses.*

Dies

Dies	Theseo sacra fiebant.
	Carolus Magnus Imperat. Augustus consecratur,
	Guilelmus cognomine Conquæstor Angliæ rex coronatur.
	Stephanus Angliæ regno consecratur.
	Rhodus munitißimum orbis Christiani propugnaculum capitur à Selymone Turcarum rege, anno 1522.
26. 7	
27. 6	Phœbo per triduum solennia sacra fiebant, quòd dies incrementum capiat.
28. 5	
29. 4	Lacedæmonij Mercurio sacrificant.
	Bononia Latina Colonia à Triumuiris deducta. Liuius.
30. 3	Natalis Titi Vespasiani. Sueton.
31. Prid.	Magistratus sacramento astringitur.
	Pertinax Imper. factus. Capitolin.

FINIS.

Restat hîc unum ut totius anni dies articulatim ad calculum uocare, simulq; fastorum rationem apud nostræ sacrosanctæ religionis homines usitatam, nusquam tamen à statu suo curriculo uariantem, cogere atq; complecti doceam, citra librorum operam:

operam: atq; id ipsum Latinis haud Barbaris sententijs, cuilibet anni tempori congruis: quod quidē fit commodè diuidendo membratim dictiones in suas syllabas, quarum numero respondebit & dierum calculus: obseruato semper quòd maiusculis elementis pictæ syllabæ anniuersarias ferias & solennes usuq; longo receptas, in quas incurrunt, designant.

CALENDARIVM.

IANVARIVS.

Circūcisionis. Epiphaniæ.
CAEditur puer, MAgus quē supplex adorat: Pontian9 maritat. Agnes nubit. PAulus fulmine cadit.
Cōuersionis Pauli.

FEBRVARIVS.

Purificationis.
Se PVRgat uirgo de more. exordia grati ueris promittit læto PEtro MATthias lætus.
Petri ad Cath. Matthiæ.

MARTIVS.

Martius terræ segetem mandat. Sub Gregorio ferulæ puer manum ducit. NVNcium uirgo capit.
Annunciationis.

APRILIS.

Terra parens recludit opes, iam plurimus agnus mactatur.

I

mactatur. Taurum sol petit sub Marco sacrũ diē.

MAIVS.

Philip. et Iacobi. Crucis inuent.

PHilo CRVX inuenta: redit lux annua Seruatio.

Fluxit ueris honos, subit æstas puluerulenta.

IVNIVS.

Tõdet oues Bonifas. solem sistit Odulphus. Vitus

Natiuitas Ioãis. Petri et Pauli decol.

fœnũ secat. nascitur BAPtistes. cadit PEtrus.

IVLIVS.

Visitat. Mariæ.

Iam MAria meßē cõponit horreo. Canis furit. ca-

Magdalenæ. Iacobi.

lathis plenis MAGdalæ IAcobus adfert poma.

AVGVSTVS.

Petri ad uincula. Laurentij Ascensi

PEtrus uincitur, torreturq; Laurēs: at cœlos MA-

onis Mariæ. Bartholomæi. Decol. Ioãis.

ria scandit. truncatur cũ BARtholomæo IOannes.

SEPTEMBER.

Natiuit. Mariæ. Exalt. crucis.

Autũno ceßit æstas. NAta uirgo. diem CRVX æ-

Matthæi. Michaelis.

qs horis secat. MAtthæo succedit magnꝰ MIchel.

OCTOBER.

Exprimitur plenis labris uinũ, quod dolijs medicus

Lucæ euang. Simonis & Iudæ.

LVcas condit. Seuero graditur Simon comes.

NOVEM-

NOVEMBER.

Omniū ſanctorū. Martini.
OMnibus ſanctis hyemat annus.MARtinus muſtū
Catharinæ. Andreæ.
recludit.Eliſa porrigit CAtharæ citharAN.

DECEMBER.

Barbaræ.Nicol i.Cōceptionis Mar.
promittit barbam NIclas. CONcipit uirgo.Luciæ
Thomæ apoſt. Natiuit.Chriſt.Step.
nunciat brumā THOmas.læto NASCITVR
Ioāis euang.
orbi Chriſtus.

FINIS.

CALENDARIVM VERSV HEROICO, PRAE

cipuas ecclesiæ festiuitates syllabatim complectens, adiecimus ne paginæ nudæ essent, autore Georgio Macropedio.

IANVARIVS *dierum* XXXI.

S*Cinditur, inde Magis colitur puer ortus Iesus*
Prisca dat Agneti cum Paulo munera Iani.

FEBRVARIVS Dier. XXVIII.

Hinc Mariam sese purgat gnatumq; tenellum
Sub tempus Vernum sedem Petro Mathia aptas.

MARTIVS Dier. XXXI.

Vendicat aurato sibi uellere Georgium Mars.
Angelus & Christum dicit Mariam parituram.

APRILIS Dier. XXX.

Pauca sub Aprili celebrantur festa piorum,
Pascha subin cum mobilibus Marcusq; coluntur.

MAIVS Dier. XXXI.

Philippe Crucem das Ioanni quem dolia Seruant
Maius amœna parat, rapidū Vrbanusq; dat æstū.

IVNIVS Dier. XXX.

Iungit seq; Bono sic ardens Cancer Odulpho.

Vitus

Vitus ut associat sibi Baptistam sibi Petrum.

IVLIVS Dier. XXXI.

En Mater Translata dei petit arua Sionis
Iulius hinc tibi Peccatrix Iacobeq; libat.

AVGVSTVS Dier. XXXI.

Vincla per Augustũ transmittis Laureus,hinc fit
Sumptio,In Autumno pie Barthole conde Ioannẽ.

SEPTEMBER Dier. XXX.

In Septembri oritur Mariam,dat Libra Crucemq;
Lãberto,dat Mat.Mauris quoq;,pacis & Anglũ.

OCTOBER Dier. XXXI.

Remigium colit October Victore sequente.
Tandem Luce aderit celebri festum Simeonis.

NOVEMBER Dier. XXX.

Omnibus optime Vilis eras Martine Nouembri.
Sub bruma canitur Clero Catharis tibi pæ An.

DECEMBER Dier. XXXI.

Sit tibi barba Nicol.Mariam cole Lucia Capro.
Demũ post Thomã cole Nat.Steph.Io.Puerosq;.

ANNOTATIVNCVLAE in præcedentem Calendarij uersiculos.

NE lector hæsites uel erres in prædictorum chirometrici(ut uocant)calendarij uersiculorum

culorum usu, sed singulis digitorum tum flexuris tum nodis singulas dictiuncularum syllabas conuenienter & ex ordine applices, primum hoc obseruandum est, quod in quatuor à pollice utriuslibet manuum singulis digitis septem sunt loci, quibus singulæ Calendarij præscripti syllabæ per ordinē applicandæ sunt, quorum tres priores in manus interioris tribus digitorum flexuris, tres posteriores ἐν τοῖς κονδύλοις, siue in digitorum exterioribus nodis flexuris oppositis, medius autē seu quartus in summitate seu extrema parte digitorum designandus est. Hi septem hoc ordine hebdomadis diebus accommodabuntur, ut prima flexura ad radicem digiti diei Solis seu dominicæ, secunda diei Lunæ, tertia Martis, ἄκρον siue uertex digiti diei Mercurij, deinde proximus eiusdem digiti in manu uersa condylus seu nodus diei Iouis, sequēs diei Veneris, ultimus autē in radice diei Saturni (quod Sabbatum dicimus) tribuatur. Inter quæ maxime cauendum, ne sicubi fiat uocalis elisio, duæ syllabæ pro una supputentur, id quod in metrorum scansione sæpenumero fieri consueuit. Nunc igitur singulos menses examinemus.

Pro mense Ianuario.

In Ianuario à Iano bifronte sic dicto, quod finē

prææ-

præcedentis & principium sequẽtis anni ex æquo respiciat, tres festiuitates ubiq; celebres designantur, Circuncisio uidelicet Christiana, primo die, Magorum in Epiphania sexto, & Pauli conuersio uicesimo quinto. Agnes quoq; & ante eam octauo die Pontianus nobis Traiectinis festiui sunt. Reliquos quod non ubiq; celebrentur prudens hic omitto, in secundo Calendario latius expressurus.

Pro Februario.

Secundo Februarij die festiuitas est uirginis Mariæ purificatæ, quã cum diuo Luca hebræo more nominandi casu propter uersum Mariam nominaui. In fine mensis festiuitas est Cathedræ Petri, & Matthiæ. Vbi tamẽ sciendum. quod quarto quoque anno (quem bißextilem nuncupãt) unicus dies pridie Matthiæ inserendus est, & tunc legendum tro, tro, Math. &c. aut secundum alios Mat, Mat, quod 6. Kalendas Martij bis numeremus. Item aduertendum iuxta uulgo receptum canonem, festiuitatem Petri principum esse uerni temporis tribus mensibus & hebdomade dierum duraturi.

Pro Martio.

In Martio nullius diuorum festiuitas est, nisi unius Annunciationis dominicæ ad uirginẽ matrem in fine mensis, Gregorius inseritur, quod eo die So

le uidelicet primum Arietis (quem aurato uellere intelligis) punctum ingresso sub æquatore, æquinoctium uulgo creditur, quãquam mathematici secus iudicant. Porrò per Martem, unde & Martius dictus est, Martium intelligimus.

Pro Aprili.

Aprilis ab aperiendo sic dictus, aut secundum quosdam ἀπὸ τῆς Ἀφροδίτης Venere, certos dies celebrandos ab ecclesia indictos non habet, nisi quod Pascha cũ suis ferijs frequenter sub hoc mense occurrit celebrandum, item Ascensio dominica. id quod etiã in Maio & Martio tum de Penthecoste, tum de alijs (ut uocant) festis mobilibus obseruandum est. Porrò Marcus in fine additur.

Pro Maio.

Maium à maioribus appellauerunt Romani, quemadmodũ Iunium à iunioribus, aut ut alij, Maium à Maia matre Mercurij, & Iunium à Iunone. Philippum habet & Iacobum fratrem Domini nõ Ioannis sub una festiuitate primo die, & Crucis inuentionem tertio, quapropter non Philippe tribus (ut proprie) syllabis, sed syncope necessaria Phlippe duabus legendũ est. Sexto die Ioanes apo

stolus

stolus in ferues dolium missus, quanquã non ubiq; celeber, occurrit. Vrbanus autẽ adiectus est, quod uulgo principium Aestatis adferat, tribus mensibus & hebdomadæ dierum duraturæ.

Pro Iunio.

Iunius in priore sui parte Traiectinis Bonifacium & Odulphum celebres offert. Ioannem Baptistam, Petriq; & Pauli paßionem sub unis ferijs in altera tota simul nobiscum ecclesia celebrat. Vitus adijcitur, quod eo die iuxta uulgi existimationem Sol Cancrum ingressus solstitium æstiuum faciat, correptisq; sensim diebus noctes productiores reddat.

Pro Iulio.

Iulium mensem à Iulio Cæsare dictum uolunt, nam priscis Quintilis dictus est. Insignis est secundo die Mariæ uisitatione, & uicesimo secundo festiuitate Magdalenæ peccatricis, & XXV Iacobi maioris fratris Ioannis. Est autem Iacobe uox tetra syllaba, ut hoc obiter moneam, ne quis cum errore trisyllabum legat.

Pro Augusto.

Augustus olim sextilis ab Octauio Augusto id nominis accepit. Habet in priore sui parte vinculã Petri, & Laurẽtium, in posteriore Assumptionem

Mariæ uirginis, & Bartholomæum. Habet quoq; in fine Ioannem decollatum, quanquam non ubiq; celebrem. Legendum est autem Ioannem more hebraico tribus syllabis, & prima correpta more quorundā ecclesiasticorū, propter angustiam carminis, aut loco Iohānem lege βαφῆα, hoc est, baptistam, accusatiuum ionicum à βαφεὺς. Porrò Bartholomæus incipit Autumnum trium mensium & septem dierum.

Pro Septembri.

September dictus est, quod septimus à Martio, olim anni principio, sit. Insignitur in priore sui dimidietate Mariæ natiuitate, & Crucis exaltatione, in posteriori autem Lamberto, Matthæo, Mauritio, & Michaële archangelo. Circiter Lambertum, sole iam primum Libræ punctum sub æquatore ingresso, æquinoctium est autumnale, quantum ad uulgi iudicium attinet.

Pro Octobri.

October à Martio, octauus Remigium & Victorem habet, quāquam non tam alijs ecclesijs quam Traiectinæ celebres. Deinde in fine Simonē & Iudam sub una festiuitate. Vocula quoq; Luce Lucā indicat euangelistam.

Pro Nouembri.

Nouembris prima dies omnibus sanctis celeberrima, septima Vilibrordo, & undecima Martino. Sub finem Catharina locum habet, & Andreas mensem claudit. Iccirco in dictione pae An posteriorem syllabam A uides scriptam capitali. Porrò in dictione clero, caput hyemis trium mensium & septem dierum, Clementem intellige.

Pro Decembri.

December Barbaram habet (quanquam non festam) uulgo uenerandam. Nicolaum quoque, cuius primam produci angustia carminis non patitur. Deinde Mariæ conceptionem cum Lucia, quo die sol uulgo Capricornum ingressus τροπὴν, *id est, reciprocationem siue solstitium brumale facit, & dies producere inchoat. In posteriore parte post Thomam Natalis Christianus, cum Stephano, Ioanne Euangelista, & Pueris innocentibus annũ claudunt. Ex his lector arbitror prædictorum uersiculorum intellectum facile uenaberis.*

FINIS.

BASILEAE PER HENRI-
CHVM PETRI, MEN
SE MARTIO, AN-
NO M. D. LIII.



